15

EXPLICATIO
MUSIVI
IN
VILLA BURGHESIANA ASSERVATI,
QUO CERTAMINA AMPHITHEATRI REPRAESENTATA EXTANT.

QUAM COLLEGIUM PONTIFICIUM ANTIQUITATIBUS ROMANIS EXPLICANDIS INSTITUTUM

PRAEMIO EXTRA ORDINEM DONAVIT

Anno MDCCCXLIII.

PRAEMISSAE SUNT BREVES DE LUDORUM AMPHITHEATRI ORIGINE ATQUE HISTORIA, DEQUE IPSORUM GLADIATORUM CONDITIONE, GENERIBUS, ARMATURIS COMMENTATIONES.

AUCTORE

GUILLELMO HENZENIO BREMANO.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA REV. CAM. APOST.
1845

Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet, et haud scio an ita sit, ut nunc fit. Quum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina.

Cic. Tusc. II, 17, 41.

PRAEFATIO.

Inter tot; quae ad nostram aetatem permanserunt, monumenta antiqua, quibus gladiatorum spectacula repraesentantur, nullum prorsus tantam ad eam rem lucem afferre potest, quantam magnum illud musivum in villa burghesiana asservatum, quippe quod quum magnitudine figurarum ac coloribus, quibus expressae sunt, tum multitudine et hominum et bestiarum, summaque certaminum varietate, cetera omnia longe superet. Quamobrem quum maxima sine dubio laude dignum sit, quod ab illustrissima pontificia academia romana hoc potissimum monumentum illustrandum propositum est, negari tamen non potest magni laboris magnique studii hoc opus esse, quum ipsa res gladiatoria nondum ea, qua decet, diligentia ac doctrina tractata sit. Quamvis enim multa collegerint viri priorum saeculorum doctissimi, ita tamen rem egerunt, ut quae scriptores afferunt, accuratissime conquirerent, negligerent autem et inscriptiones et artis monumenta. Unde factum est, ut multa falso, multa non satis accurate attulerint. Quae quum ita sint, bene illustrari non posse musivum burghesianum mihi visum est, nisi tota re gladiatoria denuo perlustrata. Quamobrem id potissimum egi, ut, perlectis antiquis scriptoribus, monumenta gladiatoria quam plurima colligerem. In qua re, summa qua sunt liberalitate, adiuverunt me vir excell. Kestnerus, qui regis Hannoveriae Romae minister est, omnibus e mul-

tis, quas possidet, lucernis, quae ad spectacula amphitheatri pertinent, ut delinearentur, mihi permissis: et vir ill. Campana, qui itidem e clarissima sua collectione, omnia, quibus res gladiatoriae quodammodo illustrari poterant, usitanda mihi praebuit. Prae ceteris tamen gratiae mihi agendae sunt viro clarissimo Braunio, qui non solum summa qua est doctrina monumentorumque cognitione in iis, quae edita iam erant, conquirendis me adiuvit, sed incognita etiam nonnulla eaque gravissimi momenti, quibus res nonnullas paullo obscuriores explicare mihi contigit, e sua mihi obtulit collectione. Licet autem principio totom rem gladiatoriam ita tractandi consilium cepissem, ut inscriptionum etiam, quae ad eam pertinent, tesserarum imprimis adderem collectionem, mox tempus me defecturum esse intelligens, quippe qui circa idus demum novembris Romam venissem, de iis potissimum rebus agere constitui, quibus ad intelligendum musivum maxime opus esse credidi: de generibus, dico, gladiatorum, deque eorum armaturis, ita tamen, ut de historia quoque spectaculorum gladiatorum, deque universa, qua illi fuerint conditione, pauca adderem. Id quod ab ipsa illustrissima academia postulatum esse putavi, quum non singulas solum musivi illius partes explicandas, sed integrum etiam opus illustrandum esse edixerit. Quamquam anxio tantum animo hoc opus me suscepisse confiteor, quum audissem, summum illum inter doctos patrem reverendissimum Secchium, simile plane monumentum doctrinae suae luce collustraturum esse: attamen me quoque ad intelligenda melius spectacula, quae tontom in romanorum vitam exercuerunt auctoritatem, pauca fortasse conferre posse ratus, quae conscripsi hic vobis propono de benigne susceptis clementer vos iudicaturos esse confisus.

Romae idibus martiis anni MDCCCXLIII.

PARS I.

„ Olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propi- „ tiari creditum erat, captivos, vel mali status servos mercati, in exe- „ quiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. „ Itaque quos paraverant armis, quibus tunc et qualiter poterant „ eruditos, tantum ut occidi discerent, mox edicta die inferiarum „ apud tumulos erogabant; ita mortem homicidiis consolabantur „. Cum his Tertulliani (1) verbis congruit Servii (2) sententia: congruunt etiam ea quae de temporum antiquissimorum historia eruere possumus. Constat enim apud omnes fere populos antiquos non diis solum homines immolatos esse (3), sed etiam mortuis eorum sanguine parentatum. Cuius rei notissimum exemplum apud graecos funus Patrocli, in quo celebrando duodecim troianorum adolescentes ab Achille occisos esse Homerus tradit (4). Postero quidem tempore quum iamdudum apud illos abolita esset consuetudo ista horrenda, ab Herodoto scythas edocemur regibus multorum servorum caede inferias obtulisse (5). In Italia autem, apud etruscos potissimum, antiquitus mos ille obtinuisse videtur. Etruscorum enim tarquinienses trecentos septem milites romanos captos immolarunt (6) ad placandas, puto, civium occisorum animas. Praeterea in monumentis quoque etruscorum talia sacrificia conspiciuntur (7). Certamina porro funebria iam ab iis edita esse, innumeris eorum urnis sepulcralibus probatur, in quibus homines cernimus interdum chlamydatos trucidantes vel se ipsos ad aram, vel alios quoque circumstantes: qua quidem repraesentatione, etiamsi, ut recentiores volunt, e graecorum potius fabulis repetenda esset, quam e moribus etruscorum, aegre tamen mihi persuaderi patiar, non ritus quosdam funebres esse indicatos, quum toties eadem res eodem modo efficta et semper quidem in monumentis sepulcralibus reperiatur. Accedit sepulcri cuiusdam tarquiniensis pictura (7.ª), quae homines nudos vel chlamydatos scutis ac gladiis armatos exhibet, quibus certamen funebre si non repraesentatur, certe indicatur. Certamen vero quoddam

gymnicum et equestre a caeritibus iussu oraculi delphici institutum, quod phocaeenses captos perfide necaverant (8), ad illud ludorum genus non pertinet (9). Indicati potius esse videntur ludi graecorum more instituti, praesertim quum graeci oraculi mandato res facta sit. Neque probabile est, ludos cruentos, qui a graecorum, quales iam illa aetate erant, indole ac moribus plane abhorrebant, ab ipso illo oraculo, quod magnam in humanitatem provehendam exercuit vim, caeritibus esse imperatos; ac notum omnes ipsorum graecorum ludos publicos a ludis funebribus duxisse originem, ita ut mirari minime possimus, quod eius generis certamina ad placandos quoque phocaeensium manes instituti sunt. Accedit, quod ipsi caerites sive agyllaei, secundum quae veteres tradunt, graecae fuerunt originis. Apud ipsos autem etruscos sacrificiorum illorum loco iam spectacula esse instituta, etiam veteres nonnulli scriptores tradunt. (Val. Max. II, 4, 7. Tertull. de spect. 5.) Ab iis deinde munera gladiatoria ad alias Italiae nationes venisse dixerim, apud quas tam antiqua fuit consuetudo gladiatores exhibendi, ut in construendis urbium foris eius rei ratio habita sit (10). Tuscorum enim colonia fuerunt campani (11), iam ante tempus dominationis romanorum rei gladiatorii studiosissimi, quippe qui publicis spectaculis parum contenti, etiam in conviviis gladiatorum paria committere solerent (12). Quamobrem non mirandum, quod usque ad aetatem imperatorum Capua ludorum, in quibus gladiatores exercebantur, sedes principalis manserit; ibi quum gladiatores quidam e Lentuli ludo evasissent, bellum Spartaci nomine celebratum exarsit (13); ibi Caesar gladiatores suos habebat (14): atque aetate etiam multo posteriori Didius Julianus imperator, quum ab adversariis urgeretur, gladiatores, qui Capuae essent, armari iussit (15). Quin etiam amphitheatra lapidibus extructa apud campanos multo prius fuisse, quam Romae, inscriptione fortasse pompeiana probatur in ipso amphitheatro reperta, qua locum colonis in perpetuum a duumviris assignatum esse accipimus (16). Id quod statim post coloniam deductam factum esse editor coniecit. Deducta autem colonia est Sullae auspiciis.

Hoc modo quamquam muneribus gladiatoriis a populis finitimis summa dabatur opera, apud romanos tamen per longum tempus non erant in usu, donec primi belli punici initio, Ap. Claudio, M. Fulvio cos., M. et D. Bruti in mortui patris honorem in foro boario munus gladiatorium primi dederunt (17). Ab etruscis autem illa spectacula Romam migrasse, vel eo mihi probatur, quod sacrificia etiam humana romanorum tuscae fuerunt originis (18), ipsique ludi scenici

ex Etruria introducti sunt (19). Magister porro gladiatorum lanista vocatur, vocabulo etrusco, quod carnificem significat (20): gladiatorumque cadavera ex arena deducit Charon ille tuscus, armatus malleo suo, quem gerens in cistis mortuorum animas ad inferos deducit (21). Quum praeterea gladiatorum certaminibus tibias adsonuisse epigramma quoddam doceat (22), ex hoc quoque more ab etruscis illa desumpta esse colligo, apud quos pugiles tibiis sonantibus dimicabant (23). Accedit denique Nicolai Damasceni testimonium ab etruscis romanos munera gladiatoria accepisse affirmantis (24).

Primis autem post introductos gladiatores temporibus raro Romae munera edita sunt, paucisque, si posteriorem aetatem comparaveris, commissis paribus (25). Quo tamen magis populi romani mores a vetere simplicitate degenerabant, ita ut minus mox rei publicae quam suae quisque voluptati operam daret, crescente in dies spectaculorum cupiditate augebatur et gladiatorum, qui exhibebantur, numerus munerumque magnificentia, et sicut dicit, quem supra laudavimus, Tertullianus, ad tantam mox crudelitatem provecti sunt homines, ut ferro voluptati satis non fieret, nisi et feris humana corpora dissiparentur (26). Scimus autem apud plures populos antiquos illud tanquam poenarum genus fuisse in usu (27); inter ipsos romanos Scipionem Africanum, everso punico imperio, externarum gentium transfugas in edendis populo spectaculis feris bestiis obiecisse accepimus (28). Quando et a quo Romae prima venatio data sit, e veterum scriptis eruere mihi non contigit, nisi forte a Marco Fulvio Nobiliore anno U. 568 hoc factum esse credendum est, quem bello aetolico confecto, venationem dedisse leonum et pantherarum Livius docet (29). Verrius quidem elephantos A. U. quingentesimo secundo, victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de poenis captos pugnasse in circo interfectosque iaculis narravit; quum vero et Lucius Piso inductos eos dumtaxat in circum esse tradiderit, et Fenestella primum omnium in circo Claudii Pulcri aedilitate curuli M. Antonio, M. Postumio cos. (i. e. anno U. sexcentesimo quinquagesimo quinto) elephantum pugnasse dicat (30), horum testimonium illi praeferre non dubito. Illo tamen tempore venationes iam saepe magnoque apparatu edebantur, editoresque hoc potissimum spectabant, ut non solum multas, sed quae vel raro visae vel a regionibus remotissimis advectae essent, producerent bestias. Sic L. Sulla centum leones iubatos in praetura dedit: post eum Pompeius leones DC, in iis iubatorum CCCXV, Caesar autem dictator CCCC (31): nullum vero spectaculum sine africanis, sive pantheris edebatur‘

ita ut Plinius pantheram et tigridem prope solas bestiarum spectari dicat. Nam contra senatus consultum vetus, ne liceret africanas in Italiam advehere, tulerat ad populum Cn. Aufidius tribunus plebis, permisitque eas circensium gratia importari (32). Quo facto primus Scaurus in aedilitate sua varias centum quinquaginta universas misit: dein Pompeius magnus quadringentas decem, divus Augustus quadringentas viginti (33). Hippopotamum et quinque crocodilos Romae aedilitatis suae ludis M. Scaurus primus ostendit (34): Augustus vero crocodilos triginta sex in circo flaminio exhibuit. Rhinoceros primum visus Pompeii Magni ludis, quibus et chama, quem galli rufium vocabant (35); camelopardalis dictatoris Caesaris circensibus ludis primum exhibita (36). Invenimus porro lupos cervarios (37), alces (38), struthiones (39), corocottas (40), alia animalia terrarum paene incognitarum in venationibus producta.

Initio quidem venationes ita editae esse videntur, ut neque cum muneribus gladiatoriis, neque cum rebus omnino funebribus ullo modo essent coniunctae: quum vero in dies magis excitaretur plebis studium taliaque videndi cupiditas, fieri non poterat, quin mox simul cum gladiatoribus etiam in funeribus darentur (41). Quae enim religiosa muneris gladiatorii ratio ab initio fuerat, ea diu apud romanos permansit, neque unquam plane in oblivionem venit: ita ut sub extremum etiam liberae rei publicae tempus nulla fere nisi funebria gladiatorum munera (42), imperatorum aetate certe multa a scriptoribus commemorata inveniamus (43). Saepe testamentis quoque sancitum est, ut in alicuius funere gladiatores dimicarent (44): quin pecuniam legatam esse reperimus, qua in perpetuum certo quodam tempore gladiatores darentur (45). Et principio quidem in virorum tantum, ducum potissimum egregiorum hominumque fortium, funeribus eiusmodi spectacula exhibita sunt, donec in mulieris honorem primum munus a dictatore Caesare datum est, qui Iuliae filiae memoriam gladiatoribus et venationibus celebravit (46). Quam rem ab eo inde tempore saepius accidisse colligo ex epistola quadam Plinii, qui laudat amicum, quod uxorem illo modo honoraverit, hoc potissimum spectaculum funeri deberi addens (47).

Tantopere autem populus in funeribus hominum locupletiorum gladiatores videre consueverat, ut mota nonnunquam seditione, quum munus non fieret, per vim heredibus ad id pecuniam extorqueret (48). Quae quum ita essent, tantum valuit religiosa, quam dixi, munerum ratio; ut etiam magistratus, quum gladiatores edebant, per longum tempus mortui cuiusdam parentis nomine hoc facerent, etiamsi

iamdudum decesserat (49). Gladiatorum igitur spectacula eo tempo- [illegible] publicum munus erant, sed privatum potius; qua re hoc quoque declaratur, [illegible] si quando egregio cuidam viro honor aliquis publicus decernitur, semper [illegible] circensibus ac scenicis, nunquam de gladiatoriis mentio fit (50). Quum [illegible] magis populi favor conciliari posset, omnes magistratus, aediles, praetores, [illegible] stores, consules, sacerdotes porro (51) munera edidisse videmus. Tantopere enim iam liberae rei publicae tempore rei gladiatoriae cives dediti erant, ut nullum tempus esse frequentioris populi quam illud gladiatorium, neque concionis ullius, neque vero ullorum comitiorum, Cicero praedicet de munere aliquo sua aetate dato (52). Quin mulieribus quoque munera spectare licebat (53). Quibus rebus effectum est, ut summo studio, ab iis qui magistratum aliquem petebant, res gladiatoria ageretur: id quod summo saepe rei publicae incommodo fuit (54). Non modo provinciis vectigalia a magistratibus imponebantur, quibus Romae ludos ederent (55); non modo ipsi magistratus multum temporis comparandis feris impendebant (56); non modo in urbe plebem ludis conciliabat quicumque divitiis satis pollebat (57); verum saepissime homines quoque novarum rerum studiosi, munere simulato, collectis gladiatoribus statum rei publicae gravissime turbarunt (58). Quamobrem quum Caesar aedilis munus edere vellet, sed multiplici undique familia comparata inimicos exterruisset, de numero gladiatorum cautum est, quo ne maiorem cuiquam habere Romae liceret (59). Nihilo tamen minus paria trecenta et viginti ille produxit (60): unde satis cognoscitur, quantopere iam ea aetate res gladiatoria degeneraverit.

Quae quum ita essent, fieri non poterat, quin mox antiqua munerum ratio etiam atque etiam in oblivionem veniret: quamquam etiam tunc, ut supra iam dixi, funera iis celebrata esse reperimus. Tunc quacunque occasione oblata gladiatores ac venatores exhibebantur. Iam vidimus, bello aetolico finito, M. Fulvium venationem edidisse, cui num verum gladiatorum munus adiunctum fuerit nescimus. Postero autem tempore nullus fere triumphus ductus est, quem gladiatores ac venatio non sequeretur. Accesserunt deinde dedicationes operum publicorum (61). Imperatorum vero aetate pro salute Caesaris saepissime gladiatores dimicarunt (62), eodemque modo et nuptiae (63), et dies natales (64), omnia, quae feliciter, vel imperatori, vel rei publicae evenerant (65), celebrabantur. Saturnalibus denique gladiatores populo edebantur (66).

Quod autem paullo ante diximus munera gladiatoria initio non fuisse publica , sed privata , ea quoque re probari mihi vid[illegible], quod per tantum tempus nullum iis destinatum era[illegible]ficium. Quum enim circenses in circo ederentur , lud[illegible] in theatro (67), etiam munera gladiatoria in foro (68) , vel passim ad tempus tantum [illegible] regiones, vel ad ipsum etiam rogum exhibebantur: venationes vero in circo, euripo ad id et clathris ferreis a Caesare circumdato , quum in Pompeii munere elephanti perrumpere conati essent (69), et ibi postea gladiatores quoque pugnasse videmus , ex quo non singuli tantum adversus singulos, sed multi cum multis dimicare coepissent (70). Ille mos vetustissimus in omnibus Italiae oppidis gladiatores in foro dandi (71) , apud romanos non modo usque ad Ciceronis et Caesaris aetatem permansit (72) , sed etiam sub imperatoribus saepe idem factum est (73). Amphitheatrum (74) autem primum ligno extruxisse videtur dictator Caesar (75): nisi iam duo Curionis theatra , quae quum inter sese aversae essent scenae , edito antimeridiano ludorum spectaculo, cardinum versatili suspenso libramento repente circum agebantur ut contra starent, amphitheatrum dicere licet (76); lapideum amphitheatrum Romae, Augusto quartum consule, Statilius Taurus primus aedificavit , quo tempore campanos iamdudum talia aedificia in usu habuisse antea coniecimus (77). At per longum quidem tempus illud unicum Romae mansit amphitheatrum (78). Incohoatum enim aliud iuxta septa a Caligula Claudius non perfecit (79), Nero autem ligneum aedificavit (80). Tandem Vespasianus urbe media, ut destinasse compererat Augustum, amphitheatrum fecit illud clarissimum quod dedicavit Titus (81) , instauravit Antoninus Pius (82), postea Heliogabalus (83). Jam vero tantopere insanus ille ludorum furor animos invaserat , ut in omnibus fere provinciarum oppidis , et in imperatorum villis amphitheatra extruerentur (84) : quamquam etiam illa aetate aliis quoque locis, ut in septis (85), in diribitorio (86) atque , more illo antiquo, in foro ac circo munera dabantur.

Perlustratis hoc modo duobus praecipuis talium ludorum generibus , explicataque eorum origine et historia ad id usque tempus , quo ad summum iam crudelitatis luxuriaeque fastigium pervenerant , commemorandum saltem tertium genus spectaculorum hoc ipso , quod indicavimus, tempore primum editum: pugnas navales dico, sive naumachias. Primus autem , quantum equidem scio , Julius Caesar proelium navale in minore Codeta, defosso lacu , paravit (87) , cuius exemplum Augustus (88) secutus est , ceterique imperatores(89).

Edebantur autem naumachiae principio quidem modo in lacu quodam naturali, modo in stagnis ad id ipsum effossis cinctisque muro vel lapideo vel ligneo, quo spectatorum sedes supportabantur (90). postea autem plerumque in amphitheatris ita constructis, ut canalibus quibusdam subterraneis aqua subito et immitteretur et dimitteretur, qua ratione gladiatores, venationes, pugnae navales eodem saepe die exhibitae sunt.

Breviter ita exposita munerum gladiatoriorum historia per id tempus, quo parvis ab initiis ad magnam paullatim in vitam romanorum vim pervenerant, paucis iam disserendum de imperatorum aetate, qua rei quidem ipsius natura eadem mansit, in immensum vero auctae sunt et spectaculorum exhibitiones earumque magnificentia, et hominum occisorum belluarumque numerus. Jam Caesar dictator non paria tantum, sed duas interdum acies peditum, equitum, elephantorum pugnaturos in circum induxit (91): quem imitatus Augustus, dacorum et suevorum catervas commisit (92). Idem militibus in castris spectacula edidit (93). Tiberius Caesar, ut erat parcissimus, ludos populo raro paravit (94). Magnam contra pecuniam Caligula illis rebus impendit, ita ut brevi divitias publicas exhausisset (95). Ac tantopere delectabatur cruentis illis spectaculis, ut, quum defecissent qui bestiis obiicerentur damnati, e spectantium numero arreptos aliquos in arenam duci iuberet (96). Claudius vero hominum caede magis, quam venationibus, gavisus (97), nihilominus his quoque tanto studio deditus erat, ut ludos circenses bestiarum certamine interrumperet (98). Celeberrima fuit naumachia ab eo in lacu Fucino edita, ad quam undeviginti millia hominum armaverat (99): munus porro in campo martio, quo expugnationem direptionemque oppidi ad imaginem bellicam hominum oculis obtulit (100). Nero, quamquam certaminibus musicis ac curulibus ipse solus operae impendit (101), munera tamen amphitheatri non minore splendore edidit (102). Tanta autem Romae illa aetate fuit gladiatorum multitudo, ut quum contra Vitellium exercitum duceret Otho, cum duobus eorum millibus Roma proficisceretur (103); tantaque animis romanorum consuetudine innata erat videndi cupiditas, ut quum conscius esset Vitellius sibi instare donativum et deesse pecuniam, ea re milites placare studeret, ut circum gladiatorum ferarumque spectaculis oppleret (104). Boni etiam imperatores eo furore quasi infecti sunt. Sic Vespasianum quidem gladiatoribus non valde delectatum, venationes potius dedisse scimus (105): Titum autem tantopere rebus amphitheatri studuisse, ut non solum in amphitheatri

Flavii dedicatione quinque millia animalium interficeret (106), sed ipse studium armaturae thracum prae se ferens, saepe cum populo et voce et gestu, ut fautor, cavillaretur (107). Quin quod summo semper vituperio datum atque ante eum, credo, a solo Nerone factum est (108), mulieres quoque pugnantes in arenam induxit (109). Domitianus spectacula assidue magnifica et sumptuosa edidit (110): ipse vero Traianus, ut vir bellicosus ac fortis, valde iis laetatus est (111), triumphos suos venationibus ac gladiatorum muneribus magnificentissimis ornavit (112): neque Hadrianus ne in itineribus quidem ab edendis spectaculis abstinebat (113). Antoninum quoque Pium splendidas venationes dedisse legimus (114), Aelium Verum gladiatorum pugnas etiam conviviis adhibuisse (115). Solus Antoninus philosophus caedibus tantopere abhorrebat, ut gladiatores athletarum more sine periculo dimicantes ederet (116), tantaque erat vitae indulgentia, ut cogeretur nonnunquam invitus vel in venationes pergere, vel in theatrum descendere, vel spectaculis interesse (117). Eo maiore dementia rebus amphitheatri totum se dedit Commodus, qui gladiatoriis armis saepissime in ludo, deinceps etiam in amphitheatro dimicavit (118), quin feras etiam multas in arena occidit. Nomina quoque gladiatoria recepit eo gaudio, quasi acciperet triumphalia. Pugnasse autem dicitur septingenties tricies quinquies (119). Ea ratione factum est, ut orbis terrarum dominus descenderet ad conditionem hominum maxime contemptorum (120). Initio enim sontes tantum depugnarunt (121), captivi deinde barbari coëmpti (122): et summo semper crimini datum erat, si quis forte civem romanum in arenam descendere coëgisset (123). Homines liberi vilissimae tantum conditionis auctorati gladiatores fiebant (124). Paullatim tamen, augescente in dies rei gladiatoriae studio, quum alii quoque viri arma gladiatoria animi caussa tractare coepissent (125), Caesaris dictatoris spectaculis equites quosdam publice dimicasse accepimus, viri etiam praetorii filium, senatorem vero Fulvium Setinum ab ipso tantum Caesare impeditum esse, quominus in arenam progrederetur (126). Augustum porro scimus confectores ferarum e iuventute nobilissima elegisse (127); quid, quod ad scenicas et gladiatorias operas equitibus romanis aliquando usus est, verum priusquam id senatus consulto vetaretur (128). Quod quidem senatus consultum non magna postea fuisse auctoritate videtur, quum illo iam spectaculo, quod Drusus, Tiberii filius, edidit, duo equites pugnaverint, interfectusque sit alter (129). Caligula ipse cum gladiatoribus pugnavit, ita tamen ut ipse sica ferrea, ille rude batueret (130), privatim prae-

terea necdum iu amphitheatro. Notos porro patres familiarum, sed insignes debilitate aliqua corporis cum feris tabidis commisit (131); equitem quendam gladiatorem in arena agere coëgit (132). Claudius autem ac Nero turmas equitum praetorianorum, ducibus tribunis, ad conficiendas africanas exhibuere (133): hic senatores quoque plures feminasque nobiles (134) arena foedavit. Quamobrem a Vitellio denuo cautum est, ne equites romani ludo et arena polluerentur. Ita enim mos iste vulgatus erat, ut pleraque municipia et coloniae aemularentur, quo corruptissimum quemque adolescentium pretio illicerent (135). Neque illo decreto impediri potuit, quominus qui volebat imperatorum, denuo homines liberos ac nobiles in arenam vel deprimeret vel admitteret (136), quum multi quoque non coacti, sed ut placerent imperatori, vel ut fortitudinem suam ostenderent armorumque peritiam, eo accederent. Ipse Hadrianus imperator atque Aelius Verus gladiatoria arma tractaruut (137); idem publice fecisse Commodum videmus; Didioque Juliano opprobrio datum est, quod armis gladiatoriis exercitus esset (138).

A Commodi inde aetate quae rei gladiatoriae conditio fuerit, non satis compertum habemus: quamquam diu post eum usitata fuerunt eiusmodi spectacula. Caracallam Dio gladiatorum sanguine maxime delectatum, et ipsum bestias trucidasse gladiatoriisque armis certasse, tradit (139); quumque per imperii provincias iter faceret, omnibus hibernorum locis incolae ut amphitheatra extruerent coacti sunt (140).

Heliogabalus, dum prandebat, noxios et venationes sibi exhibuit (141). Alexander quidem Severus spectacula frequentavit cum summa donandi parsimonia, dicens et venatores, et scenicos, et aurigas alendos esse, ut servos (142). Sub imperatoribus tamen sequentibus denuo effloruit res gladiatoria: id quod numero ferarum, quae vel in silva editae sunt a Gordiano (143), vel post mortem eius a Philippo Romae cum mille paribus gladiatorum fiscalium inventae, satis probatur (144). Gallienus denique venationes et ludos gladiatorios (145) edidit. Aurelianus octingenta paria triumpho duxit (146): ac Probum quoque praeter silvam magnificentissimam trecenta paria gladiatorum, maxime germanorum sarmatarumque bello captorum, dedisse constat (147). Isaurorum tandem captivi a Caesare Gallo in amphitheatro feris obiecti sunt (148).

Quantam autem vim atque potentiam in universam romanorum vitam spectacula amphitheatri habuerint, ea potissimum re cognoscimus, quod in tam multis tamque variis monumentis repraesentata

sunt. Quorum vetustissima, ni fallor, sepulcralia sunt. Quum enim antiquissimo tempore ad funera tantum celebranda gladiatores ederentur, ut ipsa quoque sepulcra eorum imaginibus ornarentur, rei ipsius natura effectum est. Cuius rei exemplum, praeter notissimum Scauri Pompeiani sepulcrum, eas gladiatorum effigies attulerim, quae prope Caeciliae Metellae monumentum conspiciuntur, etiamsi ad ipsum illud monumentum num pertinuerint equidem dubito. Atque eadem ratio in lucernis obtinuisse mihi videtur, in quibus nullae plane res saepius, quam gladiatorum reperiuntur certamina. Lucernae enim nescio an veteribus imaginem referre visae sint corporis animam continentis: cuius sententiae auctorem Plutarchum affero (149); propterea ardente lucerna tumuli ponebantur (150), atque inde evenit, ut omnibus fere in sepulcris magnus lucernarum numerus inveniatur. In quibus quod gladiatorum tam saepe effictae effigies sint, nemini mirum erit, qui ad funera maxime eos datos esse in mentem sibi revocaverit. Ceterum aliis quoque in utensilibus gladiatorum effigies esse effictas, vitris quibusdam probatur ad collectionem Bartoldi pertinentibus. (*Vetri antichi, raccolti dal cav. Bartoldi, t. 1.*) Praeterea ille paullatim obtinuit mos, ut editores quae dederant munera vel picta vel lapidi insculpta in publico exponerent (151). Sic venationis monumentum, quod dux Torlonia possidet, post dedicatum Marcelli theatrum positum videtur (152). Pingi autem gladiatoria munera coepta sunt a C. Terentio Lucano, qui quum avo suo, a quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedisset, tabulam pictam in nemore Dianae posuit (153). Quae quidem res ad quam aetatem pertineat, haud satis liquet. Id vero constat, libertum quendam Neronis, quum daret Antii munus gladiatorium, publicas porticus pictura investivisse gladiatorum ministrorumque eorum veris imaginibus redditis (154). Jamque domus privatae eadem ratione ornari coeptae sunt. Trimalchionis enim in aedibus, praeter Iliadem atque Odysseam Laenatis, quoque gladiatorum munus depictum erat (155): quae res ad Neronis tempus referenda est, si Petronius pro illo eius nominis homine habendus est, de quo pluribus Tacitus agit: id quod parum tamen probabile (156). Quae picturae quantae ac quot figuris postero certe tempore fuerint ornatae, iis potissimum intelligitur, quae Julius Capitolinus (157) narrat de silva quadam a Gordiano edita, atque in domo rostrata Gn. Pompeii depicta, in qua quam multa animalia repraesentata fuerint, vix credi potest. Ad idem autem monumentorum genus referenda sunt, quae ad nostram aetatem permanserunt musiva, in quibus vel gladiatores vel venationes exhi-

bentur, quorum praeter magnum musivum burghesianum id tantum commemoro, quod a Winckelmanno editum gladiatores pugnantes exhibet, parvaque ea quae conspiciuntur vel in horreis vaticanis, in quibus tam multa signa recondita iacent, vel in museo gregoriano parietibus infixa.

Quo autem tempore Romae in usu fuerant ludi amphitheatrales, in provincias quoque paullatim propagatus erat idem spectaculorum furor. Non solum etiam ex regionibus remotissimis Romam confluebant homines ad munera spectanda (158), sed ubique amphitheatra extructa sunt: cuius rei testes gravissimi ipsae eorum reliquiae tot locis usque ad nostram aetatem extantes. Et parvis saepe oppidis gladiatores esse editos reperimus. In Italia e. g., ut mittam Herculani ac Pompeiorum amphitheatra (159), ludus gladiatorius praenestinus commemoratur (160); de fidenensi spectaculo antea monitum (161). Bononiae a Fabio Valente gladiatores editi (162), atque ibidem sutorem munus dedisse, sicut fullonem quendam Mutinae Martialis dicit (163). Puteolis, Allifis, Velitris, Telesiae, Venafri, Auximi, multis aliis locis amphitheatra fuisse, vel reliquiae vel inscriptiones ad munera spectantes demonstrant (164). Senatus consultum, quo civitati syracusanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum permissum est, apud Tacitum legimus (165). In provincias autem remotas iam temporibus antiquis ludi gladiatorii per magistratus romanos venerunt, ut Lucullus Ephesi, Cicero Laodiceae munus edidit (166). Et de Graecia quidem provinciisque a graecis occupatis ita iam disputatum est (167), ut nominasse sufficiat loca quaedam, quibus spectacula edita esse scimus: cuius rei exemplum vetustissimum est, quod Cassander narratur, quum e Boeotia reversus Athenas esset, ludos funebres edidisse, quibus quatuor milites pugnaverint (168). Athenienses secundo post Christum saeculo, ac corinthios summo ardore rebus gladiatoriis studuisse, Dio Chrysostomus tradit (169). Plataeis quoque eiusmodi ludos exhibitos esse scimus (170). Iam vero a Paullo Aemilio in Macedonia spectacula edita Antigonus Epiphanes gladiatoribus magno pretio Roma arcessitis imitatus erat (171). Cyzici denique, Stratoniceae Cariae, in oppido Co, Pessinunte, munera data inscriptiones testantur (172).

Quamquam autem per totum orbem romanum spectacula gladiatoria populo omnium rerum acceptissima erant, non raro a scriptoribus antiquis vituperata ea esse reperimus. Cicero paene confitetur inhumana ea esse (173): aliquo loco cupide se reliquisse ait

M. Metelli gladiatores (174). Tacitus vero, sive quis alius dialogi auctor est, propria, inquit, et peculiaria huius urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur histrionalis favor et gladiatorum atque equorum studia (175). Atque interdum legibus quoque atque edictis paullulum coercita est eorum vel crudelitas vel luxuria. Inhumanam quidem crudelitatem iam Augustus diminuere studuit, quippe qui et Domitium, quum munus summa saevitia dedisset, clam frustra monitum edicto coerceret (176), et gladiatores sine missione edi prohiberet (177). Tiberius postea ludorum ac munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum recisis paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis (178). Etiam Nerone imperante lex sub Claudio lata, ut quaestores designati pecunia sua gladiatores darent (179), senatus auctoritate abrogata est (180); idem edixit, ne quis magistratus, aut procurator, qui provinciam obtineret, spectacula gladiatorum aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet; nam antea non minus tali largitione, quam corripiendis pecuniis, subiectos affligebant (181). Nerva spectacula nonnulla abrogavit (182). Antoninus Pius sumptum muneribus instituit (183); Antoninus vero philosophus omni modo gladiatoria spectacula temperavit (184), sumptum minuendo (185), iubendo, ut sine caede ederentur (186), ad bellorum usum gladiatores traducendo (187). Septimius Severus mulieres in arena dimicare vetuit (188). Neque tamen prius gladiatorum munera legibus submota, quam christianorum religione accepta Constantinus gladiatorum caedibus urbes pollucre vetuisset (189). Tam validas autem, tamque profundas in populi animis radices egerat consuetudo ista, quae per tot saecula obtinuerat, ut ne tum quidem desinerent cruenta spectacula. Constantium quidem quum Ammianus Marcellinus delectatum esse dicat cruentis ludicris, haud scio, num revera gladiatores indicati sint, quum et pugiles fortasse vetiti essent (190); eiusdem autem lex extat (191), quae munerarios prohibet auctoratos militiae, vel palatina praeditos dignitate in ludum producere: qua re gladiatorum munera plane nondum desiisse satis intelligimus. Augustinus quoque Alypium suum gladiatorii spectaculi inhiatu incredibiliter abreptum esse narrat (192), Prudentiique versus extant, quibus Honorium cohortatur, ut mortes miserorum hominum prohibeat litare (193). Sustulit re vera gladiatores Honorius, quum Telemachus monachus, diducere dimicantes in arena conatus, a populo lapidibus esset obrutus (194): manserunt tamen in usu bestiarum exhi-

bitiones, neque animalium solum cum animalibus certamina, sed idem quod tam diu fuerat venationum genus, quamquam Theodosium iam taurorum certe pugnas submovisse ex eodem, quem attuli, Prudentii loco apparet.» Quo munere venator explendus est, scribit etiam rex Theodoricus (195), qui, ut spectantibus placeat, suis mortibus claborat: » et postea: » Vobis, quibus necesse est talia populis exhibere, largitate manus fundite praemia, ut haec miseris faciatis esse votiva ». Quibus locis facile cognoscitur, non noxios tantum fuisse exhibitos, quibus praemia sane non proponebantur, neque ipsum regem clementia clarum opprimere potuisse consuetudinem, a qua ipse abhorruerit. Videntur tamen ipsa hominum armatorum contra feras certamina illis temporibus paullatim obsolevisse, atque ita potius spectacula instituta fuisse, ut homines cum bestiis commissi celeritate corporumque pernicitate earum morsus evitare studerent. Cuius ludorum generis iam Tertullianus in apologetico mentionem facit, quum de frustrandis bestiis loquitur, sicut Flavius Vopiscus in Carino et Numeriano, de toichobate narrans, qui per parietem urso eluso cucurrit (196). Postea tamen hanc fere solam obtinuisse spectaculorum rationem non modo Cassiodorus probat, quippe qui multa quidem de ea faciat verba, nihil de armatorum contra belluas pugnis dicat (197), sed pluribus quoque diptychis consularibus, in quibus varia horum semper spectaculorum genera repraesentantur, rara armatorum cum bestiis certamina. Quorum diptychorum, quae ex Gorii thesauro mihi innotuerunt, unum quidem iam ad Stiliconem a cl. editore refertur (198), altera ad annos p. Chr. n. 506 et 517 (199): ita ut, quo tempore in occidente Cassiodorus de crudelitate illa conquestus est, in imperio orientis eandem obtinuisse satis appareat. Quin etiam Zeno imperator lege ult. Cod. de feriis, dominica die scenam theatralem, circense certamen et ferarum lacrimosa spectacula interdixit ne ederentur (200).

ADNOTATIONES AD PARTEM PRIMAM.

(1) Tert. de spectac. 12.

(2) Serv. ad Virg. Aen. X, 519: „ Sane mos erat in sepulcris virorum fortium captivos necari, quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui a bustis bustuarii (al. bustiarii) dicti sunt „

(3) Apud graecos quoque plurima eiusmodi sacra fuisse non magno solum fabularum numero probatur, quibus pro patriae salute morti aliquis datur, sed magis etiam iis religionibus, in quibus post abolita sacrificia humana ritus tamen quidam ad illa spectantes retinebantur: de quibus omnibus *cf. Wachsmuth*, *Antiquit. hellenicae II.*, 2. 224, sqq. Themistoclem ante pugnam salaminiam tres persas diis immolasse ex antiquo graecorum more, scimus ex Plut. Them. 13, Arist. 11, Pelop. 21. Iovi autem Lycaeo etiam imperatorum romanorum aetate sacrificia humana esse oblata, tradit idem Plut. Quaest. gr. VII, 198. De populis barbarorum, ut tauris, gallis, poenis, rege aegyptiorum fabuloso Busiride, cf. Cic. De re pub. III, 9.

(4) Il. 23, 175. 176.

(5) Hdt. IV, 71. 72.

(6) Liv. VII, 15.

(7) Cf. sellam in bibliotheca corsiniana asservatam (7.a). Micali, tab. 66.

(8) Hdt. 1, 167.

(9) Ut vult O. Muellerus de rebus etruscis III. p. 222. De urnis etruscis quae huc pertinent, cf. Buonarrotium apud Gori, Monum. etr. vol. I, p. 355.

(10) Vitruv. V, 1: „ Graeci in quadrato amplissimis et duplicibus porticibus fora constituunt, Italiae vero urbibus non eadem ratione est faciendum ideo quod a maioribus consuetudo tradita est gladiatoria munera in foro dari „ Cf. O. Mueller Etr. I, pag. 222.

(11) Vell. Pat. I, 7.

(12) *Καμπανοὶ ἐπὶ τοσοῦτον ἐνετρύφησαν ὥστ' ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλουν πρὸς ζεύγη μονομάχων, ὁρίζοντες ἀριθμὸν κατὰ τὴν δείπνων ἀξίαν*; Strab. V. t. I, p. 406., ed Tauchn; cf. Nicol. Damasc. apud Athen. IV, p. 153, T. Livius IX, 40: Campani . . . gladiatores, quod spectaculum inter epulas erat cet.; Sil. Ital. XI, 51.

(13) Liv. epit. l. XCV; Vell. Pat. II, 30. Flor. III, 20; Eutrop. VI, 7. Cf. Athen. VI, p. 272, F.

(14) Cic. ad Att. VII, 14; VIII, 2.

(15) Ael. Spart. 8.
(16) Cf. Guarini, Fasti duumvirali di Pompeii, pag. 32.

C. QVINCTIVS. C. F. VALG.
M. PORCIVS. M. F. DVO. VIR.
QVINQ. COLONIAE HONORIS
CAVSA. SPECTACVLA. DE SVA
PEQ. FAC COER. ET. COLONEIS
LOCVM IN PERPETVOM. DEDERE

(17) Liv. Ep. XVI. Val. Max. II, 4, 7. Discrepant hi scriptores eo tantum, quod ille solum D. Iunium Brutum, hic M. et D. Brutos primos editores nominat. Tria tantum paria data esse scimus ex Ausonio, a Lipsio, Saturn. serm. c. 8, laudato, qui threces pro gladiatoribus in universum poetice usurpat; idem Iunisdas illud munus edidisse dicit.

(18) Recte perspexit Muellerus, Etr. II, pag. 21, indicari originem ea re, quod gallum et graecum libri fatales ad sacrificium saepius destinaverint; ambos enim populos etruscorum fuisse hostes. Cf. Liv. XXII, 57. Dio f. Vales. 12.; Plin. Hist. Nat. XXVIII, 3.

(19) C. Sulpicio Baetico, C. Licinio Stolone cos. Val. Max. II, 4; cf. Tertull. de Spectac. 5, qui ludorum etiam nomen a lydis derivat, qui ex Asia transvenae in Etruria consederint.

(20) Isidor. Orig. X, p. 247.

(21) Tertull. Apolog. 15, „ Vidimus et Iovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem. „ Tertullianus quidem Iovis fratrem, i. e. Ditem patrem, sive Plutonem dicit, quem Prudentius quoque tamquam arenae praesidem affert; cf. I. Lipsius Sat. serm. I, 5. Sed malleo Charon satis clara indicatur, quumque et Dis pater et Saturnus apud romanos inferorum dii essent, apud etruscos autem Charon eamdem haberat dignitatem, facile a romanis, originis memoria obliterata, nomina commutari poterant. Cf. Mueller Etr. II, pag. 100.

(22) Welckeri Sylloge epigr. gr. 47, 4, ubi de Melanippo retiario sermo:

οὐκέτι χαλκ[ελά]του φωνὴν σάλπιγγος
ἀκο[ύω
οὐδ' ἀνίσων αὐλῶν κελαδὸν ἄ[θ]λων
ἀνεγείρω

ad quem locum Welckerus Paus. V, 17 affert, ubi ludi funebres in arca Cypseli repraesentati describuntur, quibus tibicen et tibicina adsunt.

(23) Ἐρατοσθένης δὲ ἐν πρώτῳ Ὀλυμπιονικῶν τοὺς Τυῤῥηνούς φησι πρὸς αὐλὸν πυκτεύειν. Athen. IV, p. 154, A.

(24) Τὰς τῶν μονομάχων θέας οὐ μόνον ἐν πανηγύρεσι καὶ θεάτροις ἐποιοῦντο Ῥωμαῖοι παρὰ Τυῤῥηνῶν παραλαβόντες τὸ ἔθος κ.τ.λ. v. Athenaeum, IV, pag. 153 F.

(25) Eam ob rem Livius, quotiescumque munus datum est, in fine annorum eius mentionem facit. Commemorat autem Scipionis munus, quod Carthagina nova in patris patruique memoriam edidit XXVIII, 21, de quo etiam Val. Max. IX, 11; ludos funebres M. Aemilio Lepido a filiis in foro per triduum datos, XXIII, 30 in quibus paria duo et viginti dimicarunt; deinde, XXXI, 50 in Valerii Laevini honorem per quatriduum ludos funebres factos esse legimus, quibus paria quioque et viginti pugnarunt. Maiorem iam parium numerum P. Licinii Crassi funeris caussa, M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone cos. exhibitum esse reperimus; pu gnarunt enim gladiatores centum et viginti, Liv. XXXIX, 46; Liv. XLI, 28, iam aliquot parva munera data esse traduntur, unum ante cetera insigne T. Flaminini; magni tamen muneris, addit, ea summa fuit, ut per triduum quatuor et septuaginta homines pugnarent.

(26) Tertull. Da spectac. 12.

(27) Cf. Bulengerum De venatione circi, 6, in Graevii thes. antiqnit. l. IX. Atheniensibus et Cassiodorus, Var. V, 42, et Lucianus in Toxar 58, et Demon. 57 condemnationem ad bestias attribuunt. Da carthaginiensium cum mercenariis bello Polybius narrat: τῶν δὲ πολεμίων οὓς ποτε κρατήσαι τοὺς μὲν χειρῶν νόμῳ, τοὺς δὲ ζωγρείᾳ πρὸς αὐτὸν εἰσαχθέντας ὑπέβαλε τοῖς θηρίοις. Alia exampla v. ap. Buleng.

(28) Val. Max. II, 11. Flor. epit. 51.

(29) Livii verba sunt haec: „ Athletarum quoque certamen tum primo romanis spectaculo fuit, et venatio data leonum et pantherarum: „ XXXIX, 24. Nescio quidem, num *primo* illud ad alteram quoque sententiae partem trahendum sit, re ipsa tamen iam probari mihi videtur mea sententia; quum illos ludos splendore ac novitate plane extraordinaria fuisse ex iis, quae sequuntur, videamus.

(30) Plin. Hist. Nat. VIII, 6. Constat saepius res bestiasque spectatu dignas in circo esse productas, etiamsi non ad certamina destinatas; cf. Soet. Aug. 43. Solebat enim citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatum dignumque cognitu advectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare, ut rhinocerotem apud septa, tigrim in scena, anguem quinquaginta cubitorum pro comitio; cf. de tigride mansueta Plin. Histor. Nat. VIII, 25.

(31) Plin. Hist. Nat. VIII, 20; de Sulla cf. Senecam De brev. vit. „ Primus L. Sulla in circo leones edidit solutos, quum alioquin alligati darentur, ad conficiendos eos missis a rege Boccho iaculatoribus „. De Pompeii ludis cf. Dio. C. 39, 38; cf. Plin. Hist. Nat. VIII, 23.

(32) Africanae a scriptoribus graecis λιβυκὰ θηρία dicuntur, cf. et Dionem locis plurimis, et Plutarchum, e. g. Sull. p. 453, 6 ed. Steph.

(33) Plin. Hist. Nat. VIII, 24. Praeterea omnibus fere locis, quibus de venationibus sermo, africanae quoque commemorantur: cf. Liv. 44, 18; Dio. 60, 7; 59, 7; 54, 26, all.

(34) Plin. Hist.Nat. VIII, 40; tradit Dio 51, 22, hippopotamum ae rhinocerotem in dedicando sacrario divi Iulii primum ab Augusto Romae exbibitos esse. Plinio tamen in his rebus plus auctoritatis attribuerim.

(35) Dio 55, 10.

(36) Plin. Hist. Nat. VIII, 28.

(37) Plin. Hist. Nat. VIII, 27. Dio 43, 23.

(38) Cf. de alcibus Plin. VIII, 16; Caes. De bello gallico VI, 26; Solin. 20.

(39) In ludis exhibendis e. g. Iul. Cap., Gord. 3. all. ll.

(40) Dio 76, 1, Severo regnante primas Romam venisse dicit: sed in describendis Antonini Pii ludis iam mentio earum fit. Iul. Cap. 10.

(41) Cf. munus funebre, quod patri Caesar aedilis dedit, Plin. Hist. N. 33, 16: et quod in filiae honorem dictator paravit, Dio 43, 22,

(42) Fausti Sullae munus in honorem patris, Dio 37, 51; Caesaris aedilis, Plin. H. N. 33, 16; Caesaris dictatoris, Plut. Caes. p. 733, F. ed. Steph.

(43) Cf. Aprippae funus. Dio 55, 8: ἐπιτάφιοι ὁπλομαχίαι. Tiberius novem annos natus in memoriam patris et avi munus dedit, Suet. Tib. 7. Tac. hist. II., 95: quin et natalem Vitellii diem Caecina et Valens editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere ingenti paratu, et ante illum diem inusitato; laetum foedissimo cuique, apud bonos invidiae fuit, quod extructis in campo martio aris inferias Neroni fecisset. Sic vestigia funebria illius rationis munerum in natalitiis etiam celebrandis. Hadrianus, Ael. Spart. 7. 9. ed. Bip. cet.

(44) Cf. Cic. in Vatin. 15. 37. Athen. IV, p. 154, A, ubi de hominibus agitur, qui ut mulieres formosae puerique delicati pugnarent, testati erant, id quod populus non permiserit; cf. inscr. ap. Murat. p. 616, 4.

L. VRVINO LL. PHILOMVSO
MAG CONLIB. LIBERT
PVBLICAE. SEPVLTVRAE. ET STATVAE
IN FORO LOCVS DATVS EST QVOD IN
TESTAMENTO SVO LAVATIONEM POPVLO
GRATIS PER TRIENNIVM GLADIATORVMQ
PARIA X cet.

(45) Murat. 617, 5.

VTO. SVO. DEDIT. EX. QVORVM.
COLONIS. AVXIMATIBVS DAR . . .
PARIA SENA ALTERNIS. ANNIS. EMERE
K. IVNIAS. AVXIMI PVGNARENT
QVI QVOT. ANNIS. . . . . .
EOQVE CONSVMERENT

(46) Plut. Caes. p. 733, E. Suet. Caes. 26; Dio 43, 22.

(47) Plin. epp. VI, 34.

(48) Suet. Tib. 37 : quum pollentina plebea funus cuiusdam primipilaris non prius ex foro dimisisset, quam extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus, cet.

(49) Cf. locos passim laudatos.

(50) Cf. Vell. Pat. II, 40. Absente Cn. Pompeio T. Ampius et T. Labienus tribuni plebis legem tulerunt, ut in ludis circensibus, corona laurea, et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem praetexta coronaque aurea. Dio 37, 21.

(51) Cf. Lipsius Satur. serm. I, 9 ; etiam sub imperatoribus magistratus spectacula edebant ; cf. de consulibus, Suet. Claud. 12 ; de praetoribus, quibus ius illud antea ademptum fuisse videtur, Dio. 54, 14 ; Claudius denuo eos vetuit ludos edera nisi de ipsius saluta, 60, 5. Quaestorum pecunia ut munera fierent, Claudius cavit edicto : Tac. an. XI, 22 ; Suet. 24 ; id quod a Nerone sublatum Domitianus revocavit : Suet. Domit. 4. De sacerdotibus cf. Dio. 53, 1.

(52) Cicero pro Sextio 59, 125 ; cf. 58, 124 : id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maxime delectatur. Quo autem studio iam Catonis maioris aetata in munera gladiatoria intenti fuerint hominum animi, apparet ex historiuncula illa de L. Quinctii puero delicato ; Plut. Cat. M. p. 346, A. ed. St., T. Quinctius Flam. p. 379.

(53) Suet. Aug. 44. Schol. ad Iuv. XI, 199; antiquitus solebant mulieres cum viris omnibus interesse spectaculis indifferenter; cf. Macrob. Satur. II, 5, ubi narratur, quomodo Livia et Iulia Augusti in spectaculo gladiatorio sese monstraverint. A certaminibus tantum athletarum ab Augusto exclusae sunt, Suet. 44. Quantopere autem mulieres romanae gladiatores amaverint, scimus ex satirarum scriptoribus ; cf. praesertim Iuv. V, 80 ; 110 all.

(54) Cf. Flor. III, 12, qui munera gladiatoria ad conciliandum plebis favorem effusam largitionem dicit.

(55) Quo vectigali Q. Cicero Asiam liberavit ; Cic. ep. ad Quintum fratrem I. 9.

(56) Cf. Cic. ad familiares II, 11, quo loco, quum ipse Ciliciam administraret, Caelio aedili pantheras promittit ; cf. Cael. ad Cic., ad fam. VIII, 1, 3. Patiscus quidam, quem pro quaestore fuisse Cic. ad fam. XII, 15, docet, earum venationa occupatus est.

(57) Lege a Cicerone lata dilucide vetitum, biennio, quo quis peteret petiturusve esset, gladiatores dari, nisi ex testamento praestituta die. Cic. in Vat. 15, 37.

(58) Praetermissa Spartaci seditione, sufficiat commemorasse turbas clodianas, Cic. pro Sextio 36, 78 ; 39, 85 ; 59, 126 ; 64 ; in Vat. 17, 40 ; de off. II, 17, 38 ; ad Quint. frat. II, 6 ; Dio 39, 7 ; 8 ; 18 ; cf. Cic. pro L. Sulla 19, 54 ; cet. Ad occidendum Caesarem coniurati gladiatores in Pompeii theatro collegerant, spectaculum se esse edituros simulantes; Dio 44, 16. Omnes fere viri nobiles gladiatoribus sese circumdedisse videntur tanquam cor-

poris custodibus, ita ut duces quoque gladiatores in castra secum ducerent; cf. Tac. ann. 1, 25. Nero quoque cum gladiatoribus nocturna sua per urbem itinera fecit, Tac. an. XIII, 25.

(59) Suet. Caes. 10.

(60) Plut. Caes. 5.

(61) Cf. de foro Caesaris, Dio 43, 22; de templo Quirini ab Augusto dedicato, Dio 54, 19; Augusti a Caligula, Dio 59, 7; cet. Huc pertinet inscriptio in thermis pompeianis reperta publici iuris facta in Mus. borb. t. II. rel. degli scavi p. 7.

(62) Iam Caesari dictatori senatus in muneribus gladiatoriis singulos semper dies dedicavit, Dio 44, 6. Pro salute Caligulae Atanius Secundus eques tanquam gladiatorem se pugnaturum voverat, Suet. Cal. 27; Dio 59, 8. Claudius praetoribus gladiatores dare vetuit nisi pro ipsius salute, Dio 60, 8; cf. inscript. apud Murat. 612, 3; 615, 4; pro salute domus Augustae, Guarini, Fasti decemvirali, cet. p. 172, 7; Bullett. dell'instituto archeolog. 1831 p. 12; Gruter. p. 475, 3.

(63) Cf. Suet. Nero 7.

(64) Cf. Dio 54, 34; Tac. hist. II, 95.

(65) Mors Seiani ut quotannis venationibus celebraretur, decrevit senatus; Dio 58, 12.

(66) Lipsius Sat. serm. 1, 5: Quod autem Saturno sacrum esse gladiatorum munera dicuntur, nihil aliud est nisi ad inferias ea spectare: nam Saturnus apud romanos deus inferorum.

(67) Quamquam diu et theatra Romae spreta sunt, cf. Liv. epit. 48. Vell. Pat. 1, 14; Val. Maximus IV, 2; de theatro Scauri lignis extructo, Plin. N. Hist. XXXVI, 24, 7; Gn. Pompeius mansuram theatri sedem posuit cet. Tac. ann. XIV, 20; deinde Caesar theatri extruendi consilium cepit, Dio 43, 49.

(68) Cf. quos locos a Livio attulimus.

(69) Plin. N. Hist. VIII, 7. Suet. Caes. 39. Ceterum in theatris quoque bestiae nonnunquam pugnabant, ut in Marcelli theatro dedicanda africanae sexcentae dimicasse narrantur a Dione 54, 26. Ad quam theatri dedicationem pulcherrimum illud monumentum, quod in domo nobilissimi ducis Torloniae asservatur, belluarum contra homines certamen repraesentans, spectare videtur, quum in illo ipso theatro repertum sit: de qua re pluribus egi in dissertatione recitata in instituto archaeologico, quo die urbis Romae natalitiae celebrabantur, nunc publici iuris facta in eiusdem instituti annalibus, vol. XIV. Ipsum monumentum aeri incisum in monumentis suis ineditis publici iuris fecit institutum archaeologicum (Vol. III, t. 38, a. 1842), a cuius liberalitate acceptam tabulam huic dissertationi adiunximus.

(70) E. g. Dio 43, 23, ludi a Caesare dictatore editi.

(71) Cf. quem antea laudavimus Vitruv. V, 2. Forum talibus oblatis occasionibus maenianis ac cancellis circumdatur (cf. Cic. pro Sextio 58, 124) ita ut a foro usque in capitolium spectacula extruerentur. De maenianis cf. O. Muellerum ad Festum p. 135.

(72) Cic. pro Sex. 58, 124. Servio Sulpicio statuam in rostris poni senatui placuit, circumque eum locum gladiatoribus liberos posterosque eius quoquoversu pedes quinque habere; Cic. Phil. IX, 7, 16. Caesaris munus in foro datum, Plin. H. N. XV, 18; Suet. Caes. 39.

(73) Cf. Suet. Tib. 7.

(74) De nomine amphitheatri v. Isidor. Etym. 52.

(75) Dicit enim Dio Cassius 43, 22. πολλοὺς καὶ παντοδαποὺς ἀγῶνας ἔθηκε, θέατρόν τε κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν προσεῤῥέθη; tempore verbi προσεῤῥέθη scriptor indicasse mihi videtur tum primum eiusmodi aedificio nomen illud esse impositum, quum non aoristo sane, sed imperfecto vel potius praesenti tempore usus esset, si aliam quandam rem indicare voluisset.

(76) Plin. H. N. XXXVI, 15.

(77) Dio 51, 23; Suet. Aug. 29.

(78) cf. Gusriui, Fasti duumvir. p. 32.

(79) Suet. Cal. 21. Amphitheatrum autem fidenense, cuius ruina quinquaginta millia hominum sub Tiberio debilitata, vel obtrita sunt, ligneum fuit. Suet. Tib. 40.

(80) Tac. ann. XIII, 31; Suet. Ner. 12.

(81) Suet. Vesp. 9. Tit. 7.

(82) Iul. Cap. 8.

(83) Ael. Lamp. 17.

(84) Domitianus plerumque munera in Albano suo edidit, Dio 67, 1. Talia privata imperatorum amphitheatra lusoria dicta sunt; cf. Cramer in Iuvenalis satiras comm. vet. Hamburgi, 1823 ad sat. IV, 100; Lamprid. Elagab. 25.

(85) Suet. Aug. 43, Cal. 18; Dio 59, 10.

(86) Aestate potissimum, quia tectum erat; Dio 59, 7.

(87) Suet. Caes. 39.

(88) Suet. 43.

(89) Ut celeberrima illa Claudii in lacu Fucino, Dio 60, 33. Tac. ann. XII, 56, 57.

(90) Cf. naumachiam Caesaris Suet. Caes. 39; Augusti Suet. Aug. 43; Tib. 72; Tit. 7; reg. XIV. apud Nardiu. VII, 9; Suet Ner. 27. Domitiani cf. Nardini VI, et 10; Suet. Dom. 4, 5. Dio 67, 8,

(91) Suet. Caes. 39. Dio 43, 23.

(92) Dio 51, 22. De Augusti muneribus cf. mon. ancyranum ap. Cardinali, Iscriz. veliterne, p. 67.

(93) Dio 53, 26.

(94) Tac. ann. IV, 62, ubi de amphitheatri fideuenris ruina loquitur, dicit: Affluxere avidi talium, imperante Tiberio procul voluptatibus habiti.

(95) Dio 59, 2; 5; 21; cf. 59, 10.

(96) Dio 59, 10.

(97) Dio 60, 13.

(98) Dio 60, 23.

(99) Tac. ann. XII, 56, 57; Dio 60, 33.

4

(100) Suet., Claud. 21.
(101) Cf. Plin. H. N. 33, 27.
(102) Dio 63, 3; Tac. ann. XV, 32.
(103) Tac. hist. II, 11; cf. 34, 35, 36.
(104) Tac. hist. II, 9, 4. cf. de eius spectaculis Dionem 65, 1, 4; 66, 15.
(105) Dio 66, 25, novem millia dicit Suet. 7, Eutrop. VII, 22.
(106) Suet. Tit. 8.
(107) Dio 66, 15.
(108) Tac. ann. XV, 32.
(109) Dio 66, 25.
(110) Suet. Dom. 4, 12.
(111) Plin. Paneg. 33, 34; Dio 68, 10.
(112) Dio 68, 15, post secundum bellum dacicum spectacula per dies centum viginti tres exhibuit, quibus decem millia gladiatorum dimicarunt.
(113) Ael. Spart. 19.
(114) Iul. Cap. 10.
(115) Iul. Cap. 4, ad eorum tempus pertinet inscriptio apud Grut. pag. 404, 2 de spectaculo Puteolis edito.
(116) Dio 71, 29.
(117) Iul. Cap. 4.
(118) Eutrop. VIII, 15; Lamprid. Comm. 5, 8, 9, 10, 15; Aur. Vict. de Caes. 17.
(119) Lampr., Comm. 11: de armis eius gladiatoriis gemmis auroque compositis torquibusque, Iul. Cap. Pert. 8.
(120) Apud Ciceronem saepissime contumeliae caussa gladiatores vocantur homines audaces; cf. Phil. III, 7, 18; V, 12, 32; VI, 2, 3, all.
(121) Cic. Tuscul. II, 17, 41.
(122) Id quod demonstrant ipsa, de quibus postmodum agemus, gladiatorum genera, gallorum, thraecum, samnitium.
(123) C. Asinius Pollio in Cic. ep. ad fam. X, 32, de Balbo quaestore, qui Fadium quendam militem pompeianum in ludum depresserat.
(124) Cf. quae postea afferentur.
(125) Cf. in quem Cicero vehementissime invehitur, L. Antonium, Phil. V, 7, 20, VII, 6, 17.
(126) Dio 43, 23; de aliis, qui sub Caesaris imperio dimicarunt, Suet. 39.
(127) Suet. 43,
(128) Dio 51, 22, Suet. Aug. 43.
(129) Dio 57, 14.
(130) Suet. 32.
(131) Suet. 26.
(132) Dio 59, 10.
(133) Suet., Claud. 21; Dio 60, 7; 61, 9.
(134) Tac. ann. XV, 32, Dio 61, 17. Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos senatores, sexcentosque equites romanos cet. Suet. Ner. 12.

(135) Tac. hist. II. 62.
(136) Cf. Iuven. de Domitiani aetate.
(137) Ael. Spart. 7; Iul. Cap. Vit. Ant. philos. 8.
(138) Ael. Spart. Dio. Iul. 9.
(139) Dio 77, 17.
(140) Dio 77, 9.
(141) Ael. Lampr. 25; cf. Dio 79, 9.
(142) Ael. Lampr., Alex. 37, operam palaestrae aut sphaeristerio aut luctaminibus mollioribus dabat.
(143) Iul. Cap., Gord. 3.
(144) Iul. Cap, Gord. 83.
(145) Treb. Poll., Gall. 3. In pompa quadam mille ducentos gladiatores duxit., c. 8.
(146) Vopisc., Aurel. 33.
(147) Vopisc., Prob. 19.
(148) Amm. Marcell. XIV, 2.
(149) Καθάπερ οἱ Πυθαγορικοὶ μικρὰ μεγάλων ἐποιοῦντο σύμβολα κ. τ. λ. οὕτως οἱ παλαιοὶ πολλοῖς αἰνίγμασιν ἐχρῶντο . . . , οἷόν ἐστι καὶ τὸ τοῦ λαμπτῆρος. ἔοικε γὰρ ὁ λαμπτὴρ τῷ περιέχοντι τὴν ψυχὴν σώματι. Plut. quaestt. rom. p. 281 B. ed. Xyl.

(150)
HAVE · SEPTIMIA · SIT · TIBI
TERRA · LEVIS · QVISQV
IS HVIC · TVMVLO · POSVE
RIT ARDENTE · LVCERNA
ILLIVS CINERES
AVREA · TERRA TEGAT
Murat. 1743, 14.

(151) Ad quam consuetudinem spectat fortasse inscr. apud Murat. p. 619, 3.

IDEM BASILICAM IN QVA TABVL
MVNERIS · AB · EO · EDITI POSI · · SVNT cet.

(152) Cf. Annales instituti archaeol. vol. XIV, 1842.
(153) Plin. H. N. 35, 33.
(154) ibid.
(155) Petronius Sat. 29.
(156) Cf. Fabricii Bibl. lat. II, c. 11.
(157) Iul. Cap., Gord. 3. cf. Vopisc., Carin. 18.

(158) Cf. inscr. ap. Spon p. 348, 80. (Miscellanea eruditae antiquitatis)

ΚΥΙΝΤΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΜΕΙΛΗΤΟΣ
ΠΡΟΛΙΠΩΝΑΣΙΑΣ ΤΡΙΠΟΛΙΝ
ΠΑΤΡΙΔΑΝ ΠΟΛΙΝ ΑΓΝΗΝ
ΕΝΘΑΔΕ ΗΛΘΑ ΑΓΩΝΑ ΙΔΕΙΝ
ΠΡΟΚΑΘΕΖΟΜΕΝΟΥΒΑΣΙ
ΛΕΥΟΝΤΙ ΣΕΒΗΡΩ cet.

(159) Cf. Tac. ann. XIV, 17.

(160) Tac. ann. XV, 46; cf. inscr. illic repertam apud Murat. 616, 4.

(161) Cf. n. 79.

(162) Tac. hist. II., 71.

(163) Martial. III, 59.

(164) E. g. Grut. p. 404, 2. Cardinali Iscriz. velit. p. 44; Murat. pag. 617, 2, 4, 5.

(165) Tac. ann. XIII, 49; Val. Max. 1, 7, 8.

(166) Plut., Luc. 23. Cic. ep. ad Atticum VI, 3, 5.

(167) De gladiatorum spectaculis in Graecia editis summa doctrina omnia fere, quae inveniri possunt, collegit v. ill. Welckerus, in sylloge epigr. gr. pag. 62, sqq.

(168) Athen. IV, 155 A.

(169) Dio Chrys. Or. 31, pag. 347. cf. Philostr. Vit. Apoll. IV; Apul. Metam X, 239 cf. Iuliani ep. 35, p. 408.

(170) Apul. Met. IV, pag. 78.

(172) Caylus, Recueil T. II, p. 248, cf. Welcker. sylloge; Boeckh C. I. 1511 1719. Murat. p. 643, 1. Nota sunt Italiae superioris, quae dicitur, Galliae, Hispaniae amphitheatra.

(173) Cic., Tusc. II, 17, 41.

(174) Cic. ad Att. I, 1; cf. ad fam. VII, 1.

(175) Tac., Dial. de or. 29.

(176) Suet., Aug. 45.

(177) Suet., Aug. 45.

(178) Suet., Tib. 34.

(179) Tac. an. XI, 22.

(180) Tac. ann. XIII, 5.

(181) Tac. ann. XIII, 31.

(182) Dio 68, 2.

(183) Iul. Cap. 12.

(184) Iul. Cap. 11.

(185) Iul. Cap. 27.

(186) Dio Cass. 75, 16.

(187) Iul. Cap. 21, 23.

(188) Dio 75, 16.

(189) Cf. Lips. Sat. serm. 1, 12, et quos affert locos Sozomeni, Eusebii, Callisti insertamque codici theodosiano legem Constantini XV, tit. XII. ,, Cruenta spectacula in otio civili, et domestica quiete non placent, quapropter omnino gladiatores esse prohibemus ,,.

(190) Quum enim verba *vetitis certaminibus* Marcellinus addat, Lipsius Sat. 1, 12 ad vetita gladiatorum munera hoc spectare censet.

(191) Cod. theodos XV, tit. XII de gladiat. E tempore Valentis et Valentiniani inscriptionem habemus, quae ad amphitheatrum, ut videtur, restituendum spectat. Cardinali Iscriz. velit. p. 44.

(192) Confess. VI, 8.

(193) Cf. Lips. Saturn. 1, 12.

(194) Theodoret., Hist. eccles. V, 26.

(195) Cassiod. Var. V, 42.

(196) Cf. Gori, Thesaurus diptychorum, I, p. 35, ubi vide locos laudatos.

(197) Cassiod. Var. 42.

(198) Cf. Gori, Thes. dipt. I, p. 128.

(199) Ibid. p. 212, et p. 273.

(200) Vocabulum *lacrimosa* satis indicat non solum animalium certamina in mente eum habuisse. Huc pertinent versus quoque e codice quodam Virgilii florentino apud Murat. p. 662 editi, quibus varium ferarum certamen Romae datum commemoratur. Post Constantinum certe auctorem eorum vixisse, ex ipsis, quos sibi attribuit aulicorum, titulis colligo.

PARS II.

Exposita hoc modo gladiatorum et origine et historia, nunc disserendum de conditione, qua apud romanos fuerint, deque eorum generibus atque armaturis, iis etiam quae de ipsorum munerum editione tradita accepimus, breviter adiunctis. Qua quidem in re ita versabimur, ut primum de gladiatoribus, qui proprie ita nominantur, disputemus, deinde ad venationes describendas transeamus.

Gladiatores initio aut bello capti aut servi erant, quos dominus in ipsius munere exhibebat, aut sontes, qui damnati ad mortem ita populi voluptati inservire cogebantur, propterea armis tantum instructi, ut occidi discerent (1). Mox quum aucta esset spectaculorum luxuria, haud contenti simplici illorum caede, artem quoque dimicandi summamque armorum exercitationem homines postulabant. Propterea quum simul maior in dies gladiatorum numerus ederetur, fieri non poterat, quin certus quidam exoriretur gladiatorum ordo nihil aliud agens, nisi ut armis exerceretur corpusque curaret (2). Tum nobilissimum quemque vel ditissimum eiusmodi familiam gladiatoriam aluisse videmus (3). Quum enim privata essent id genus munera (4), sua cuique pecunia, qui ea dare volebat, gladiatores comparandi erant: in qua re magis laudatus esse videtur, qui ipse eos instruendos curaverat, quam qui instructos iam atque exercitatos coëmerat (5). Tanta autem diligentia in ea re versabantur, tamque grave gravissimoque viro dignum negotium illud habebatur, ut homines nobilissimi familiae praeesse non recusarent (6). Postero inde tempore, quo ab imperatoribus potissimum munera edebantur, eorum gladiatores, quos fiscales vocabant (7), et plurimi erant, et maxime exercitati, ita ut saepe populus, quum ab aliquo spectaculum dabatur, unum alterumve gladiatorum Caesaris postularet (8). Ratio autem munerum ab ipsis imperatoribus editorum ea erat, ut curam eorum susciperet vir aliquis nobilis, cui

nomen indebatur *curatori muneris* ; nobiles enim viros ei operam navasse multis inscriptionibus probatur non quidem ad Romam ipsam, sed ad publica provinciarum munera spectantibus.

Nam quum Romae imperatores spectacula ederent, quae publica dici poterant , provinciarum quoque oppida sumptibus publicis munera instituebant , quorum curam vir plerumque summae in civitate auctoritatis suscipiebat (9). Quum vero non omnes , quibus munera edenda erant, satis divitiis pollerent, ut semper ipsi gladiatores alere possent , aetate iam liberae rei publicae homines quosdam extitisse videmus, qui lucri caussa gladiatorum familias comparabant atque instituebant , ut editoribus instructas venderent , vel locarent (10). Cuius generis homines lanistae plerumque vocantur (11): vel si non ipsi gladiatores instituebant, sed pecunia tantum sua illam rem agebant , honestiore nomine *negotiatores familiae gladiatoriae* se dicebant (12). Lanistae enim , quamquam et ipsi gladiatores possidebant (13) , saepe tamen instituendis tantum iis praeerant : ita ut vel a divite quodam possessore ad eam rem conducerentur , vel , ut videtur , plures homines sese coniungerent ad familiam quasi illorum auspiciis comparandam , sicut reperimus in inscriptione familiae Salvi cuiusdam Capitonis posita plures nominatos gladiatores tamquam servos hominum variorum (14) , ita ut illius , cuius nomine appellatur familia , unus tantum servus sit. Atque hac quidem ratione mulieres quoque gladiatores possedisse declaratur (15).

Gladiatores autem , quos lanistae instituebant, servi plerumque erant coëmpti , barbari potissimum bello capti , corporisque viribus conspicui , ut thraces , galli , germani (16) ; quamquam ex populis quoque asianis nonnunquam eos desumptos esse , nominibus quibusdam operi musivo musei burghesiani inscriptis probatur , e quibus nomen Eleacer ad iudaeum quendam spectare videtur mihi (17). Plerumque autem graeca nomina gladiatorum quum in illo aliisque eiusmodi monumentis , tum in tesseris reperimus (18) ; unde ita lanistas egisse crediderim , ut barbarorum nominum loco servis suis graeca inderent more illo posterioris aetatis notissimo , quo tomnia graeca romani adamaverant ; nam graecorum tam multos rei gladiatoriae operam dedisse minime credi potest. Praeter barbaros autem alios quoque servos robustos coëmebant , quamobrem cum piratis e. g. commercium iis erat (19) : quin Vitellium accepimus adolescentulum , quem in deliciis habuerat, lanistae circumforaneo vendidisse (20). Neque servos solum lanistae instituebant. Postquam imperatores tantopere his rebus favere coeperunt , praemiis victorum

populique erga eos favore in dies augescentibus ; saepe homines liberi vilissimae sane conditionis rei gladiatoriae operam suam locabant· alii, iuvenes potissimum bonis exuti, qui luxuria rem suam perdiderant, lanistarum promissis circumventi ad eam accedebant(21), ita tamen ut libertatem quidem suam retinerent : id quod tesserae praecipue atque inscriptiones gladiatoriae demonstrant, in quibus quum plerumque nomini gladiatoris domini nomen adscriptum inveniamus, in nonnullis tamen domini nulla fit mentio : qui gladiatores liberos fuisse eo quoque probari mihi videtur, quod plurima eorum nomina originem romanam declarant, quin tria nonnunquam illa civium romanorum nomina in iis invenimus (22). Notum praeterea plures viros doctos scripsisse de collegio quodam gladiatorum, quod indicatur inscriptione Romae inventa (23), cuius prima verba haec sunt : IMP · CAES · T · AVRELIO · COMMODO · M · PLAVTIO · QVINTILIO · COS · INITIALES . COLLEGI · SILVANI · AVRELIANI · CVRATORES · M · AVRELIVS · AVG · LIB · HILARVS · ET · COELIVS · MAGNVS · CRYPTARIVS .

Sequuntur deinde quatuor decuriae gladiatorum, cuiusque armaturae, initiales videlicet collegii illius Silvani. Collegia autem gladiatoria quin Romae fuerint dubitare non poteris (24), praesertim quum athletarum quoque collegia Romae fuisse constet(25). Vix autem crediderim servis collegiorum ius fuisse: immo omnes gladiatores illo titulo nominatos pro liberis eius conditionis hominibus habeo: quae quidem sententia eo quoque confirmatur, quod omnes suo tantum nomine indicantur addita solum armatura, ad quam pertinent (26).

Quin etiam, qui ad eandem armaturam pertinebant gladiatores corpus quoddam effecisse credere licet, quum inscriptionem possideat v. cl. Campana, de qua alio loco denuo loquemur, quam in honorem gladiatoris cuiusdam threcis posuit ARMATVRA THRAECVM VNIVERSA ; quamquam enim collegium proprie sic dictum singula gladiatorum genera universa formasse minime probabile est, coniunctionem tamen quandam inter socios eorum obtinuisse ex verbis allatis colligo (26a).

Qui autem liberae conditionis homines pretio conducti lanistae se addicebant, auctorati dicebantur sacramentoque gravissimo sese obstringebant, omnia se passuros esse *uri*, *vinciri*, *verberari*, *ferroque necari*, et quidquid aliud lanista iussisset tanquam *legitimos gladiatores* (27). Ita factum est, ut eamdem prope vim ac potentiam lanista in eos exerceret atque in servos suos coëmptos, ut eadem

5

severitate eos puniret, eadem crudelitate, si forte metu arrepti cessarunt, ad dimicandum impelleret (28). Etiam in ergastulis illis, quos ludos gladiatorum appellabant, alebantur atque exercebantur (29). Quos ludos, praeter eos qui hominum erant privatorum, multos fuisse vel Caesaris, vel publicos, et Romae et in provinciis legimus. Et Romae quidem huc pertinent, qui peculiaribus nominibus iudicantur, ante omnes ludus magnus (30), ludus matutinus (31), ludus gallicus (32), ludus dacicus, quorum priorum duos ipsis titulorum verbis imperatorum fuisse scimus; ludum deinde mamertinum, atque aemilium (33) Lipsius affert. Praeterea singuli interdum imperatores ludos sibi extruxerunt, ut C. Caesaris ludi mentio fit (34). In Italia autem praetermissis celeberrimis, de quibus iam locuti sumus (35), Capuae ludis Ravennaeque, praenestinum commemorasse sufficiet, quem quidem apud Tacitum et in titulo quodam lapidi inciso reperimus (36).

De ludis autem, quomodo fuerint instituti, pauca afferenda habeo. Hoc tantum scimus, multas eos continuisse cellas, quibus gladiatores erant inclusi, neque tamen, quantum colligere licet ex Quintiliani verbis (37), secretos fuisse servos emptos ab iis qui criminis caussa lanistis traditi erant. Alebantur gladiatores iis cibis, quibus corpori vires quam maximae roborisque species dari credebantur: quin ut ederent etiam inviti coacti esse videntur (38), ac quum hordeo maxime vescerentur, inde nomen *hordeariis* iis inditum (39). Corpora autem eorum curabantur summa diligentia: unde inter ludi ministros nulli saepius nominantur quam *medici*. Neque desunt *unctores*, quos in balneis veterum plerumque commemoratos invenimus (40). Et ludis quidem privatorum lanista praeerat: imperatorum vero sive publicis magnae auctoritatis viri praeponebantur, quibus curatoribus, vel procuratoribus nomen erat (41), quos ἐπιτρόπους graece dictos invenimus (42). Quorum deinde auspiciis multi ministri singulas ludorum res administrabant; nam praeter lanistam, quem in ludo matutino certe fuisse ex titulo quodam lapidi insculpto colligendum esse puto, quem medicus ludi matutini sibi et Claudio lanistae posuit, *curatorem spoliarii* (43), *praepositum armamentario* (44), *dispensatorem* (45), *lorarios* quos μαστιγοφόρους vel ῥαβδούχους graeci vocabant (46), qui flagellis et virgis gladiatores ad certamina compellebant, in inscriptionibus antiquis leguntur. In ludis autem bestiariorum accedunt qui *vivariorum*, quibus ferae asservabantur, curam habebant, ut etiam in legionibus tales bestia-

rum custodes fuerunt. Extat titulus quidam apud Velera, qui locus Birten nunc dicitur, repertus, ubi amphitheatri sunt reliquiae: verba

DEO SILVANO
CESSORINIVS
AMMAVSIVS
VRSARIVS LEG
XXX VV SASLM

lapidi insculpta sunt, in quo viri cuiusdam tunicati figura cernitur cum urso, qui e vase bibere videtur, ita ut ursorum custos legionis XXX is fuisse credendus sit (46a). Exercendis autem gladiatoribus praeter ipsum lanistam, qui summae rei praeerat, singulis armaturis singuli magistri erant praepositi, qui *doctores* dicebantur (47), ipsi gladiatores, ut videtur, vel veterani, vel emeriti (48), quamquam gladiatorum numero non continebantur. Atque exercebantur quidem, sicut antiqnis temporibus mos erat tirones exercere, ad palos. A singulis enim tironibus, Vegetius (49) ait, singuli pali defigebantur in terram, ita ut nutare non possent, et sex pedibus eminerent. Contra illum palum tanquam contra adversarium tiro cum crate et clava velut cum gladio se exercebat et scuto, ut nunc quasi caput et faciem peteret, nunc lateribus minaretur, interdum contenderet poplites et crura succidere, accederet, recederet, assultaret, insiliret et quasi praesentem adversarium, sic palum omni impetu; omni bellandi arte tentaret. In qua meditatione illa cautela, ut ita tiro ad inferendum vulnus insurgeret, ne quia parte ipse pateret ad plagam. Cuius exercitationis unicum, credo, inter artis antiquae monumenta in lucerna quadam v. cl. Braunii exemplum inveni, in qua gladiator, quem threcem esse armatura eius docet, in aggrediendi repraesentatur actione, scuto videlicet protento procedens, quamquam nullus ei oppositus est adversarius, nisi stipes quidam sive palus cuspide in extremitate superiore distinctus, quem ipsum illum palum gladiatorium esse nemo infitias ibit (49a). Clavae autem illae, quibus tirones milites exercebantur, in re gladiatoria *rudes* appellabantur: qui iis pugnabant, eos *batuere* dicebant (50), atque ita batuebant, ut gravioribus armis, quam in arenae certamine, uterentur (51): id quod de militibus quoque Vegetius tradit. Doctores vero non has solum exercitationes moderabantur, sed dictata quoque edebant, grammaticorum more, quomodo aggrediendum, quo pede sese recipiendum esset, quemadmodum ob-

versi hostibus , et in quantulo spatio resisterent, quin scripsisse nonnulli tironum magistrorum verba videntur (52). Hoc praeterea magnae gladiatoribus gloriae erat , si ad tantam exercitationis perfectionem venissent, ut contra intentatum ictum non conniverent : id quod raro tantum evenit ; nam inter viginti gladiatorum paria , quae in Caii principis ludo fuerunt , duos solum tali fortitudine, et ob id invictos fuisse, Plinius narrat (53).

Hic locus erit disserendi de iis discriminibus , quae inter ipsos gladiatores obtinuerint. Quo primum pertinent, quae passim in inscriptionibus antiquis reperimus , *tironum* ac *veteranorum* nomina ex rebus militaribus assumpta (54). Ac tirones quidem non magno habebantur pretio , donec primam reportassent victoriam , cuius signa tesserae illae gladiatoriae erant, quarum tam multae in museis nostris adhuc asservantur (55). Quas, nisi fallor, de collo pendentes , qui eas acceperant, gestasse credendi sunt. Post primam autem victoriam *spectatis* nomen iis datum esse videtur; ita enim quae in omnibus tesseris gladiatoriis leguntur litteras SP. explicandas esse, eo etiam confirmatur , quod in illa quam modo attuli inscriptione , qua multi recensentur gladiatores , inter tot nomina , quibus VET. et TIR. adiuncta sunt , unum quoque cum literis SP. extat (56). Qui deinde plures victorias reportarant , eo maiore honore habebantur : quamobrem in titulis gladiatoriis nominibus fere additur formula pugnarum V, pugnarum XII, pugnavit VIII, pugnavit XIII , pugnarum XXII (57).

Victorum vero nomine quando ornati sint, pro certo affirmare non possum : veri tamen simile est tum denique hoc factum esse , quum rude accepta libertas iis data sit ; quum enim Tiberium legamus splendidum gladiatorum munus edidisse , *rudiariis* quoque quibusdam revocatis auctoramento centenum millium (58) , M. Bassaeo cuidam summae laudi versum esse invenimus , quod primus et solus *victores* Campaniae , pretiis et aestimatione edidisset (59) ; qui si ii tantum erant, qui semel adversarium occiderant, non erat res tam rara tantaque laude digna. Libertatis autem recuperatae insigne gladiatoribus erat rudis , vel , si servi fuerant antea , rudis ac pileus(60). Arma rudiarii Herculi dedicare solebant (61). Qui vero gladiatores veterani rudem sibi comparare non potuerant , bellonarios saepe se faciebant (62) , ea ratione gladiaturae requiem petentes.

De *rude* autem illa , ac *palo* , quibus exercebantur gladiatores, distinctiones quaedam desumptae sunt ad gradum spectantes , quem inter socios occupabant. Omnino quidem gladiatores militum modo in

centurias distributos fuisse, credere potueris, quum idem fere signum quo, apud milites centuria indicatur, inscriptiones quaedam de gladiatoribus exhibeant (63). Quod quidem signum quamquam maiori cum probabilitate victoriarum notam esse Avellinus proposuit (Act. acad. Pontan. III, p. 203); restant tamen alia, quae apud gladiatores rei militaris instar instituta erant. Sicut in re militari primus omnium centurionum nomen suum a pilo accepit, in re gladiatoria ea appellandi ratione ita usi sunt, ut omnes maioris gradus gladiatores *rude* distinguerent; saepe enim gladiator *summa* sive *prima rudis*, vel *secunda rudis* commemoratur (64). Neque minus saepe legitur nomen *primus palus*, graece πρῶτος πᾶλος, sive πρωτόπαλος ac δεύτερος πᾶλος, id quod multis modis viri docti interpretati sunt. Quum enim Lipsius pro nomine proprio gladiatoris cuiusdam celebrati Palum habuisset (65), Casaubonus ac Salmasius secutores eos gladiatores esse rati, qui sorte victis suffecti sint, σεκουτόρων πρωτόπαλον eum esse dixerunt, cuius sors prima exierit, restricta hoc modo ad secutores illa appellatione (66). Inter recentiores autem Welckerus, refutata illorum de secutorum opinione, quae iam titulis illis, quibus ῥητιάρις δεύτερος et πρῶτος πᾶλος extant, satis refellitur, itidem ad sortitionem quandam illud πᾶλος pertinere credidit, ita ut binas sortitiones coniiciat spectare ad certamina post quaedam fortasse diludia repetita, vel binis trinisve diebus continuata; in ludis enim duas classes gladiatorum fuisse, ita ut post priorem certaminis partem transactam redintegraretur comparatio parium simili ratione, qua in gymnasiis graecorum tres τάξεις fuerint certantium (67). Equidem quominus huic sententiae accedam, ea potissimum re impedior, quod Commodus illo nomine ornatus est, sicut e Dionis loco antea allato elucet, *POST reportatas victorias*; praeterea vix cum nominibus triumphalibus possit comparari primi pali appellatio, si sortitione contingebat, neque monumentis sepulcralibus tanquam honoris alicuius titulus inscripta fuisset. Non igitur dubito ad palum gladiatorum illam appellationem referre simili modo, quo de rude altera, quam diximus, gradus distinctio desumpta est, ita tamen ut primi vel secundi pali nomen ad ipsa certamina victoriasque reportatas spectaverit; nam sexcenties vicies Commodus ita appellatus est (68). Quae quidem sententia eo quoque mihi probatur, quod πᾶλος in epigrammate illo α longum habet (69), sicut palus latinorum: πάλος contra, sortitionem significans, primam syllabam brevem exhibet. Omnino denique verisimile est gladiatorum classes nominibus latinis neque e lingua peregrina repetitis esse appellatos.

Hac ratione quum satis tractatum esse videatur de modo, quo gladiatores comparati atque instituti sint, ad eam quaestionem accedimus, quae eorum genera singulorumque armaturae fuerint. Initio quidem quum bello capti spectaculis edi solerent, quin suae quisque nationis armis indutus in arenam processerit minime dubito, atque ita *samnitium* apud campanos, a quibus romani postea eam gladiatorum armaturam desumpserunt, *gallorum*, *thracum* genera apud romanos extitisse dixerim. Atque ea animi sententia in arenam huius generis viros induxisse romanos dixerim, ut bella, e quibus victor evasisset populus romanus, in urbe denuo ipsius populi oculis repraesentarentur. Cuius rei exemplum certissimum apud Suetonium legimus, ubi Claudium in campo expugnati cuiusdam Britanniae oppidi spectaculum protulisse narrat (70). Ita non solum ad civium animos oblectandos comparabantur gladiatorum spectacula, sed ad imperii quoque celebrandam gloriam, atque ea potissimum consuetudo, ut in triumphis gladiatores ederentur, sic facile explicatur. Quae armaturae quum adspectu peregrino ac barbaro populo placuissent, re ipsa factum est, ut usque ad tempora remotissima manerent in usu, ita ut nationis omnes plana obliti essent (71). Quamquam posterioribus quoque temporibus nationum barbararum ac paene incognitarum pugnatores in arena videre amabant romani, ita potissimum in ea re versati, ut belluis earumdem nationum opponerent venatores. Sic Sulla cum leonibus numidas commisit ad id ipsum missos a Boccho rege (71ᵃ), aethiopes cum ursis africanis Aënobarbus (71ᵇ), atque ad dimicandum cum tauris thessali equites exhibebantur, quippe qui invenissent hoc spectaculorum genus (71ᶜ). Quibus exemplis adductus venatorem quoque quemdam lorica squamata indutum, quales inter milites cataphracti appellabantur, quique in monumento torloniano extat, pro partho habere non dubitavi, quum parthi potissimum hac armatura usi sint (71ᵈ). Quae quum ita sint, si haud dubium esse videtur, quin primae gladiatorum classes hoc modo originem ceperint, alia deinde certaminum genera, quibus vel armorum exercitatio, vel corporum velocitas maxime praecellebat, illis addita, *retiariorum* opinor, ac *secutorum* et *provocatorum*. Quorum tamen singulis quae peculiaria fuerint, si quis investigare coeperit, ita in hac re agendum ei erit, ut non omnia in omnibus eiusdem generis exemplaribus reddita esse censeat, sed multa saeculorum decursu, multa secundum hominum voluptatem vel necessitatem immutata esse meminerit: quum nemo sane credere possit parvulis municipiis eadem plane ratione munera esse edita, qua

Romae ab imperatoribus. Quapropter nonnullos quoque in monumentis videmus gladiatores, qui ad quod genus pertineant equidem non ausim decidere.

Primum autem ex iis, quae postero tempore Romae in usu erant, gladiatorum armaturis samnitium genus ibi extitisse dixerim, quippe quod iam multo, antequam ludi gladiatorii Romae primum ederentur, apud campanos floruisset (72). Threces enim, quos Brutos primum edidisse Ausonius dicit, poetice pro gladiatoribus in universum usurpatos esse, recte iam observat Lipsius (73). Samnitium autem militum armaturam sic describit Livius (74):» Forma erat scuto summum latius, qua pectus atque humeri teguntur, fastigio aequali, ad imum cuneatior mobilitatis caussa. Spongia pectori tegumentum, et sinistrum crus ocrea tectum. Galeae cristatae, quae speciem magnitudini corporum adderent.» Qua cum descriptione si monumenta comparaveris, nullum prorsus reperies, quod plane ei respondeat: neque mira ea res mihi esse videtur, quum gladiatorum arma in universum a militaribus differant (75). Neque scutum illius formae ullum in monumento aliquo gladiatorio unquam videre memini, excepta fortasse unius gladiatoris in sepulcro Scauri figura. Addenda autem armis a Livio allatis, quod ad gladiatores attinet, manica dextro brachio portata ac balteus; nam de samnite gladiatore cogitare Juvenalem, quum dicat

> Quale decus rerum si coniugis auctio fiat,
> Balteus, et manicae, et cristae, crurisque sinistri
> Dimidium tegimen,

ultima haec verba satis probant (76). Accedunt subligaculum breve albo, ut videtur, fere colore, omnibus gladiatoribus commune, ac fasciae, quibus crus dextrum ocrea carens prope genu et supra talos involutum est, vel caligae. Telum iis erat gladius brevis, galea autem non solum crista, sed pinnis quoque ornata; dicit enim Varro, pinnas insignitos milites in galeis habere, et in gladiatoribus samnites (77). E monumentis vero perfectissimam, si illam veterum descriptionem accurate observaveris, samnitis imaginem reddit lucerna quaedam, in qua duos gladiatores pugnantes aspicimus, quos lanista dirimere studet. Quorum alter galeam cristatam, ocream crure sinistro, manicam brachio dextro, balteum denique gestat, cuius scutum magnum et incurvum ad imum paullulum in cuneum exit (78). Quae quidem scuti forma quamquam non cernitur in alia

quadam v. cl. Braunii lucerna, samnis tamen, quem pugnantem cum threce in ea repraesentatum videmus, praeter cetera arma eius gladiatorum generis peculiaria galea ornatus est magnis pinnis insignita bucculisque faciem obtegente eodem modo comparatis, quem mox in galea gemmae cuidam incisa, cui samnitis nomen appositum est, reperiemus. Ex aliis vero monumentis samnitis imaginem perfectissimam reddit parva figura fictilis in v. cl. Campanae collectione extans, in qua manica, balteus, ocrea quomodo comparati fuerint, optime cernitur; galea ei deest (t. VII, 1).

Ad galeam, quod attinet, aliae quoque formae erant in usu; gemma enim galeae samnitium effigiem incisam videmus, cui graecis litteris ΣΑΜ subscriptum est (79). Atque ita haec galea comparata est, ut facies gladiatoris coperta sit lamina parvulis foraminibus distincta, genae autem bucculis tegantur, crista denique ei supereminea exiens in caput gryphis, pinnis non adornata. Illa vero forma saepissime in monumentis cernitur. Batonis deinde monumentum tertiam cassidis speciem praebet (80), quam in imaginibus gladiatorum prope Caeciliae Metellae sepulcrum muro affixis itidem aspicimus. In qua ea pars, quae faciem obtegit, cum ipsa galea prorsus cohaeret: ita ut bucculae totam faciem operiant, relinquentes tantum rimam parvulam a fronte ad mentum descendentem, duoque ante oculos foramina; crista parva superiorem galeae partem ornat. Quin autem et haec galea a samnitibus gestata sit, non dubito, quum sinistri cruris ocrea et Batonem et alteros illos ad Caeciliam Metellam gladiatores samnites esse satis demonstret. Et omnia haec galearum genera e metallo facta esse debent. Scimus autem alia quoque e pelle constitisse, quorum multa specimina in musivo burghesiano reperiuntur; haec quoque, id quod cetera armatura probatur, a samnitibus gestata. Neque aliud de manicis dicendum erit. Quae quum plurimae, ut monumenta demonstrant, fasciis formatae sint, forti corio, ut videtur, factis nam quin metallo factas eas credamus, colore impedimur, quo in musivo burghesiano distinctae sunt, licet in nonnullis aliis monumentis, e. g. in samniti campaniano, manicae partes laminis metalli similiores esse videantur, quare si quis circulis e metallo factis nonnunquam eas constitisse dixerit, minime huic refragari ausim(81); squamis tamen ferreis aliae compositae sunt, atque ita quidem in monumento burghesiano reperiuntur, ut, qui gladiatores cassides ferreas sive aeneas habent, squamatis quoque manicis sint armati (82). Extant denique samnitium imagines manicas gestantium, quae in-

feriorem tantum brachii partem usque ad cubitum tegunt; ita ut forma non minus, quam materies, varia fuerit. Ocreae quoque modo e metallo, modo e corio constitisse, colore, quo in musivo borghesiano depictae sunt, colligere licet, neque minus demonstratur figura illa Campanae, quae quin ocream portet e corio factam, si ipsam eius formam observaveris, minime dubitabis. Dimidium autem, ut Juvenalis dicit, cruris sinistri tegimen sufficiebat samnitibus, quia magnum illorum scutum quadratum atque umbone medio ornatum totum corpus satis protegebat; ita vero dimicabant, ut sinistro pede protento adversarium petentes, dextrum a periculo remotum tenerent. Eamque ob caussam crure tantum sinistro ocream gerebant. Unius autem cruris tegumentum pluribus Italiae antiquis temporibus populis commune fuisse videtur, a pugnandi autem ratione dependisse, dextrumne an sinistrum crus ea tegi soleret. Antiquis pelasgis Macrobius (82a) morem attribuit crus dextrum ocrea tegendi: sed legimus etiam apud Vegetium (82b), scutatos quoque milites ferreas ocreas accipere coactos esse, in dextris tamen cruribus; quum vero, postquam ad pila ventum est, et manu ad manum gladiis pugnatum, dextros pedes milites inante habere debeant, gladiatores semper sinistros in certamine protendant, hoc quidem discrimen facile explicatur, samnitiumque milites ocrea tantum sinistri cruris ornati eadem sine dubio qua gladiatores pugnandi ratione utebantur. Ut vero et manicae et galeae, nisi e metallo factae erant, variis coloribus splendebant, sic scuta quoque eodem modo ornabantur. Denique Livius spongias quoque samnitium milites gestasse tanquam pectorum tegumenta tradit, atque eaedem retiariis attribuuntur (83), qui quum nudi semper in monumentis spectentur, satis iam elucet non esse cogitandum de thoracis genere aliquo in modum spongiae elaborati (84). Utrique vero et samnites et retiarii eam corporis partem, quae inter balteum est ac pectus, subligaculo vel tunica tectam ac saepe fasciis circumligatam habent, quibus fortasse tegumentum quoddam spongiae simile occulitur, nisi forte spongiae a gladiatoribus samnitibus omissae, a solis retiariis retentae sunt, de quibus ubi loquemur, aliam proponemus coniecturam (85). Samnitium autem nomen intercidisse, armaturamque eorum Augusti fere aetate ad hoplomachos transiisse viri docti suspicati sunt (86). Quae quidem opinio facile refellitur inscriptione saepius laudata, qua et hoplomachus et samnis inter cetera gladiatorum nomina afferuntur (87). Crediderim equidem hoplomachos, id quod nomen graecum indicat, quum apud graecos ὁπλίτας gra-

vissima armatura milites fuisse constet, samnitibus quidem fuisse similes, sed gravioribus etiam instructos armis, ita ut quum samnites nudo pectore dimicarent, hoplomachi lorica induti essent (88). Quamobrem, quem in musivo burghesiano gladiatorem videmus, cui Pampinei nomen adscriptum est, pro hoplomacho habere non dubito: in qua re si a vero non aberro, id quoque coniicere licebit, hoplomachos non quidem ocream unam crure sinistro gestasse, sed utrumque potius crus tegmine quodam e corio facto habuisse copertum, ita ut inferiorem solum, ut videtur, partem parvula tegeret ocrea in caligae plane speciem. Quae siquidem in monumento nostro bene reddita est gladiatoris imago, in dextro crure altius ascendit, quam in sinistro. Galea eiusdem plane formae est, quam secundum gemmam illam descripsimus. Ad hoplomachum Artemidori quoque verba refero, quibus de gladiatore ὅπλοις ἀργυρέοις instructo loquitur (89), pro iis autem gladiatoribus eos habitos esse credo, contra quos depugnare difficillimum esset; unde factum est, ut, quum Caligula Esium quendam Proculum egregia corporis amplitudine virum e spectaculis detractum in arenam deduxisset, ut fortitudinis eius periculum faceret, primum threci, deinde vero hoplomacho eum componeret (90). Sin vero recte hoplomachum in musivi nostri figura antea indicata cognovimus, eosdem fere eos esse dixerim atque gladiatores *clibanarios* apud gallos a Tacito commemoratos (91), quibus continuum fuisse ferri tegimen dicit; κλίβανα enim οἱ Ῥωμαῖοι τὰ σιδηρᾶ καλύμματα καλοῦσιν ἀντὶ τοῦ κηλάμινα, ut Lydus ait (92).

Quibuscum samnites pugnaverint, e veterum scriptoribus eruere parum mihi contigit; dicit quidem Lipsius secundum vetus quoddam onomasticum, pinnirapos sectatores gladiatores vocans, secutores fuisse samnitium adversarios (93): quum vero secutores cum retiariis commissos esse constet, ad ea restricti sumus, quae monumenta nobis afferunt. Primum autem inter se ipsos dimicasse eos credo, quum in lucerna duo viri pugnantes conspiciantur ocreas sinistris cruribus gestantes eaque galea, quam tertio loco proposuimus (94), induti, scuto autem carentes. Deinde vero cum threcibus compositi sunt (95), atque, siquidem bene interpretati sumus musivum burghesianum, cum retiariis quoque, quippe qui in universum populo valde placuisse eamque ob rem cum omnibus fere aliis gladiatoribus certasse videantur. Lipsius contra, qui provocatores iis commissos esse e Ciceronis quodam loco colligit, minus recte eum explicat, quum duo tantum exempla levitatis ac negli-

gentiae auctor afferre velit, qua in comparandis gladiatoribus homo ille in quem invehitur versatus sit (96).

Samnitibus equidem armaturam gallicam adiunxerim, quum historiae romanae decursu veri simile sit, tempore iam valde antiquo eam Romae ludis gladiatoriis esse adhibitam. Gallicae autem armaturae optimum exemplum extat in nummis ariminensium (97), militem gallum exhibentibus, qui scutum gerit magnum oblongum in ovi figuram formatum, cuius simile exemplum unum tantum inter gladiatorum effigies, neque hoc ipsum bene ei respondens, inveni in lucerna quadam v. cl. Kestneri (98), in qua hominem cernimus cum thrace gladiatore compositum, neque ocreis, neque manica armatum, simplicique subligaculo indutum galeaque capiti accurate se applicanti, ornata, ut videtur, pinna. Quae arma rudia atque inculta optime cum natione barbara conveniunt. *Myrmillonem* quidem scimus gallica armatura usum esse, unde plerumque pro eodem cum gallo habitus est (99). Quum vero in inscriptione (100), quae gladiatores plures secundum armaturas eorum recenset, et myrmillo et gallus commemorati sint, eodem tempore haec duo genera fuisse nemo infitias ibit. Hac igitur ratione rem evenisse credo, ut gallicae armaturae postero tempore ornatus quidam additus, galeae praesertim piscis effigies infixa sit, cuius de nomine ipsi gladiatorum classi myrmillonum nomen inditum; ad antiquissimum enim rei gladiatoriae usum non referendam esse myrmillonum armaturam graeca nominis origine iam satis apparet (101). Piscia autem ad rete illius, cum quo fere componebatur, *retiarii* spectat. Et gallica quoque, quae myrmillonis fuisse praedicatur armatura, paullatim fortasse immutata est. Neque enim, quao legimus, scuta myrmillonica dici, cum quibus de muro pugnatum sit (102), neque, quod Ammianus Marcellinus narrat (103), persarum milites in speciem myrmillonum contectos, vulneribus declinandis intentos, iussa fecisse, ad gallica, quae descripsimus, scuta referri possunt, sed ad magna illa, quibus samnites instructos fuisse vidimus. Inter artis antiquae monumenta myrmillonis effigiem certam non reperi, quamquam apud scriptores eorum saepissime mentio fit. Valde tamen probabilis v. cl. Avellini coniectura est, qui in sepulcro Scauri littera M nonnullis figuris apposita myrmillones indicari proposuit, licet piscis insigne cassidi infixum in iis non appareat (Acta acad. pont. III, 26). Tum vero galeam gestabant cristatam, bucculisque ornatam, manicam brachio dextro, ocreas cruribus ambobus, scutum vero magnum et incurvum. Quae vero Pompeiis dicitur extare myrmillonis

imago in tabula, cui nomina Prudes et Tetraides subscripta sunt (Mus. burbon. I. scavi p. 5), non amplius tam clare cernitur, ut parvulum illud insigne distingui possit (104). Ita autem pugnare (105) solebant, ut subsidentes, scutisque obtecti adversarium expectarent Committebantur cum threce (106) et retiario (107).

Threcum armatura, ut nomen docet, a thracibus petita, vix ante devictum Perseum Romam venire potuit; quippe qui ipse primus in Macedonia gladiatores ediderit (108); antea enim romanos servis thracibus usos esse non probabile est. Ita quum aetate iam cultiore atque elegantiore a romanis adoptati essent, re ipsa effectum est, ut ornatu quoque cultiore in arenam producerentur. Quamobrem imperatorum quidem tempore prae aliis omnibus in deliciis habebantur. Caligula eorum armis pugnabat : quin ipse Titus studium armaturae threcidicae prae se ferebat (109). Praeterea ipso quo in enumerandis gladiatorum classibus ab Artemidoro ponuntur loco, magna eorum, quam indicavimus, aestimatio satis elucet (110). Atque in monumentis quidem semper pulcherrimis tecti armis sunt, galea cristata, pinnis ornata, de cuius lateribus saepe alae prominent, atque duabus ocreis plerumque caelatis, quae quum paullulum modo supra genu ascendant, femora laminis quibusdam e metallo factis tecta esse videntur (111). Arma iis peculiaria parmula thracia, et sica sunt (112). Cuius quidem parmulae forma qualis fuerit, lucerna quadam v. cl. Campanae demonstratur, in qua gladiator quidam aspicitur, qui quin threcidicae armaturae sit, dubium esse nequit, si duas, quibus armatus est, ocreas sicamque observaveris. Plane autem rotunda est inque vasis sive lebetis speciem incurva (t. VII, n. 2. 113). Attamen raro tantum inter gladiatores hoc peculiare threcum propugnaculi genus in usu fuisse videtur, quum praeter duo exempla allata alia in monumentis videre non meminerim, quamquam gladiatores threces plurimos in iis repraesentatos inveniamus. Quos re vera ad hanc ipsam pertinere armaturam facile est probatu. Extat enim sepulcrale monumentum M. Antonii Exochi threcis natione alexandrini, Traiani aetate positum, in quo virum aspicimus cetera quidem descriptioni propositae similem, pro parmula vero threcidica magnum illud scutum, quod et samnitibus et myrmillonibus attribuimus, gestantem (114); sica quoque eius non, ut solet, gladius sive pugio incurvus, sed in anguli potius speciem, quasi ruptus est : quam formam in lucerna quoque Campanae reperimus (t. VII, n. 3). Idemque illud magnum scutum atque incurvum in

alio monumento extat, lapidi videlicet sepulcrali collectionis campanianae (115), gladiatoris figuram exhibenti, quem inscriptio threcem esse demonstrat. Legitur enim:

D · M ·
MACEDONI · THR
TIRO · ALEXANDRIN
BEN · MER · FEC
ARMATVRA · THRAECVM
VNIVERSA · VIX · AN · XX
MEN · VIII · DIEB · XII

Neque, quae in monumento ΠΡΙΣΚΩ ΘΡΑΚΙ ab uxore posito cernitur gladiatoris figura, quamquam ocreis, manica, sica ita instructa, ut secundum veterum scriptores expectari debet, pro parma thracia scutum tenet parvum quidem, sed quadratum atque incurvum (116), ac simili quidem propugnaculo modo maiori modo minori omnes prope gladiatores, quos cetera armatura, sica potissimum, threces esse demonstrat, in monumentis, quae mihi quidem inspicere licuit, muniti sunt (117). Ocreis duabus threces armatos fuisse ipsis, quas attulimus, monumentis satis evincitur. De manicis eorum idem dicendum, quod de samnitium; nam et totum brachium tegentes, et usque ad cubitum modo ascendentes reperimus. Committebantur autem threces et inter se ipsi (118), et cum myrmillonibus, et cum samnitibus (119).

Classis gladiatorum maxime communis, eamque ob rem pro vilissima habita, *retiarii* erant a retibus dicti, quibus adversarium impedire conabantur (120). Quae quidem retia iacula in re gladiatoria vocantur. Levis erat armatura, nam neque scutum nec galeam, neque ocreas gestabant, sed pro ocreis fasciis crura circumligabant: scuti vero loco brachium sinistrum manica, modo squamata, modo e corio facta, munitum erat, ut sagittarii quoque in exercitibus, quum clypeis uti non possent, brachia sinistra manicis armabant (121). Retiariorum autem manicae eo ab aliis differebant, quod pars humero supereminens propugnaculi quasi loco capiti erat (122). Et hunc equidem *galerum* retiariorum esse dixerim (123). Haud ignoro plerumque eum esse pileum ex pelle factum (124); quum vero nunquam retiarii vel omnino gladiatores pileo muniti inveniantur, vetus autem scholiasta Juvenalis nobis sic galerum explicet: Galerus est humero impositus gladiatoris aliquid, quo citius sparsum funem vel

jactatam retism (um) colligat (124)» : equidem, quamquam corrupto in loco, veri tamen nonnihil inesse crediderim, quum non sine caussa grammaticus eiusmodi explicationem proferre potuerit. Quae quum optime conveniat cum omnibus quae retiarios nobis exhibent monumentis, ei accedere minime dubitaverim, praesertim quum alius quoque locus extet, quo galero corium modo significari dicitur, ita ut ille retiariorum galerus quasi propugnaculum sit e corio factum (125).

Pectori retiariis spongia tegumentum erat (126), quae num, ut in samnitium rebus enarrandis posui, tunica vel subligaculo fuerit abscondita, an potius pro iis tegumentis babenda sit, quae in gladiatoris Meleagri,quem musivum burghesianum nobis exbibet(127), pectore alterum rotunda specie, alterum quadrata efficta cernuntur, ita ut ipsum cor protegant, equidem non diiudicaverim. Alia enim huius armaturae generis exempla non extant, nisi forte quis quod in humero Kalendionis retiarii apud Winckelmannum (128) depicti aspicitur, pro simili quadam armatura habere velit.

Ad petendum adversarium retiarii, praeter rete sive iaculum, tridentem gestabant, quae fuscina dicebatur, ac pugionem. Rete autem quomodo fuerit institutum parum liquet, nisi quod satis magnum et amplum id fuisse Winckelmanni demonstret musivum, quo tota prope gladiatorum corpora iis irretita sunt (129). Nihilo tamen minus occulte id ferebant retiarii (130), quare necesse est, ut valde complicari potuerit (131): atque inde quoque mihi evenisse videtur, quod tam raro rete in monumentis nostris repraesentatum videmus. Quod ad fuscinam, nonnulli quidem sola illa retiarium fuisse armatum crediderunt (132): qua sententia iam nota illa de Rufo equite romano, qui Syracusis ab retiario gladio percussus est, refellitur narratiuncula (133). Accedit quod in musei kircheriani lucerna iam antea allata retiarium videmus, dextra fuscinam, pugionem sinistra moventem, inque musivo burghesiano, quos equidem pro retiariis habeo, omnes gladiis depugnantes (134) conspiciuntur.

Retiariis simillimi, ac propterea iis adiungendi sunt *laquearii*, sive *laqueatores*, quorum pugna erat, ut iniecto laqueo adversarium irretire, irretitumque confodere studerent (135). Neque de his quidem aliud quidquam invenitur. Extat autem in collectione v. cl. Kestneri lapis, cui hominis figura insculpta est, qui in retiarii prorsus modum vestitus victoriae coronam in capite gerit. Retis loco sinistra funem ita tenet, ut alicui iniectum illum iri faci-

le appareat. Dextra baculum incurvum habet, quo fortasse adversarios retinere studet, donec laqueo eos implicare possit (136).

Committebatur retiarius cum omnibus, ut videtur de quibus tractavimus, gladiatoribus praeter thrcecem, de cuius certamine contra eum exemplum certe mihi notum non est. Dimicandi autem ratio ea erat, ut, si ei non contigerat, ut adversario rete iniiceret, fugam per arenam caperet, insequente illo, donec denuo rete vel funem collegisset (137). Inde factum est, ut alia quaedam gladiatorum classis, quae semper cum retiario componebatur, etiam nomen *secutorum* receperit (138). Quorum levior fuit armatura quam ceterorum, quibuscum retiarii componi solebant. In monumento enim sepulcrali, cui nomen *Urbici secutoris* subscriptum est (139), gladiator extat gladium movens et clypeum, ac lorica ut videtur quadam indutus, ocreis tamen, quibus inter insequendum impediri poterat, carens: neque, qui in lucerna kircheriana antea commemorata cernitur cum retiario dimicans gladiator, ocreis munitus est. Qui denique in musivo Winckelmanni prorsus ab adversario irretiti conspiciuntur, pro ocreis fasciis tantum quibusdam crura circumligata habent; iidem galeis faciem obtegentibus (140), non vero cristatis, ac loricis armati sunt, quarum hae quidem fasciis formatae videntur esse. Atque ad hoc quoque gladiatorum genus pertinent qui in Scauri sepulcro extant gladiatores, quorum alter alterum genu inclinatum iugulat, quorum galeae ac fasciae cruribus circumligatae cum Winckelmanni figuris prorsus conveniunt, clypea leviora ac rotunda leviorem ad armaturam optime quadrant. Arma gestabant secutores cuspidem et massam plumbeam, ut Isidorus tradit (141); quae massa quomodo comparata fuerit, quum in nullo, quantum equidem scio, monumento extet, non satis patet; gladium monumenta ostendunt.

Pauca tantum afferenda sunt de ceteris, qui commemorantur, gladiatorum classibus. E quibus de *velitibus* ac *provocatoribus* Maffeii sententiam (142) sequendam esse putaverim, quippe qui pro iisdem fere eos habeat. Velitum pugna erat *ut ultro citroque tela obiectarent* (143): et quum in re militari velites ad proelia incipienda adhiberentur, eundem in arena eorum usum fuisse probabile est, qua cum dimicandi ratione optime congruit provocatorum nomen. Quod praeterea Artemidorus (144) dicit significari somnio de provocatore, coniugem εὔμορφον μὲν καὶ χαρίεσσαν, λαμυρὰν δὲ καὶ ἐρωτικήν, ad eandem certaminis rationem spectare videtur, quae *varia erat*, *spectantibus vero gratior quam reliquae* (145). Levem certe arma-

t uram provocatorum quoque fuisse iam Ciceronis loco apparet, qui Clodium narrat servos ex ergastulis emptos, sortito alios samnites, alios provocatores fecisse, ita, puto, duo genera maxime diversa indicans, ut hominis negligentiam ac levitatem eo severius perstringeret (146).

Posterioris aetatis, qua maior paullatim magnificentia in spectacula irrepserat, quamquam a Cicerone ac Varrone iam commemoratum (Ep. ad fam. V, 9), *andabatarum* genus est, quos inter et equites sive gladiatores equestres diversitatem equidem nullam intercedere censeo; nomen enim eorum interpretari non possum nisi e graecorum vocabulo ἀναβαίνειν. Galeam autem gestabant frontem et oculos magnam partem tegentem, sicut in Scauri monumento duos equites pugnantes cernimus, quibus parvula tantum ante oculos foramina sunt. Hinc facetiae illae de andabatis quasi obcaecatis (147). Atque cum hisce congruit, quae de equite gladiatore Artemidorus dicit: ἱππεὺς δὲ τὴν γυναῖκα πλουσίαν μὲν εἶναι λέγει καὶ εὐγενῆ, φρένας δὲ οὐκ ἔχουσαν (148): quia ipse eques, sive andabata, quasi mente captus oculisve privatus dimicabat. Ceterum equites armis instructi erant splendidissimis, galeis praesertim auratis (149), equis autem vehebantur albis. Arma iis erant hasta et parma rotunda; dextrum brachium manica indutum (150).

Maiore etiam, quam andabatae, honore *essedarii* habebantur Ciceronis saltem aetate (151), qua non multum temporis in usu eos fuisse credo. Quum enim esseda vehiculi vel currus genus sint, quo pugnare solebant Galliae (152) gentes, vix ante Caesaris tempus ad romanos venire potuerunt. De certaminis autem eorum ratione nihil habeo quod afferam. Pro essedario inscriptio quaedam habet *assidarium* (153), ita ut Lipsii, qui apud Artemidorum pro ἀρνδάριος legere voluit ἐσσεδάριος, emendatio re quidem confirmatur, ita autem immutanda sit, ut ἀσσιδάριος recipiatur (154).

Accedunt porro *dimachaeri*, quos et nomen graecum, et dimicandi ratio nimis a vetere simplicitate remota ad tempus posterius pertinere probat (155). Utraque enim manu gladium gestabant. In monumentis antiquis horum quidem gladiatorum effigies non reperitur, quamquam duae statuae musei burbonici ad eos spectant, quae homines morientes repraesentant utraque manu gladium tenentes, sine ullo tamen gladiatorum insigni (156).

Quamvis autem distinctae in universum essent gladiatorum classes, postero certe tempore nonnunquam, qui maxime armis excellebant gladiatores, pluribus armaturis fortitudinem suam hominibus

admirandam exhibuerunt. Sic Martialis Hermelem celebrat, quippe qui hasta, tridente, casside pugnaverit, id est, ut mihi quidem videtur, tamquam bestiarius, retiarius, samnis, vel threx; vel secutor in arenam processerit (157). Et simili ratione inscriptio quaedam lugdunensis DYMACHERO cuidam SIVE ASSIDARIO dedicata est (158).

Praeter ea, de quibus adhuc tractavimus, gladiatorum genera commemorantur etiam *meridiani*, quos meridie exhibitos esse ipsum nomen docet. Vituperat Dio Cassius Claudium, quod eos, qui, dum prandebant spectatores, interficiebantur, summo studio spectaverit (159): atque ex Senecae epistolis scimus, meridie homines paene inermes ac nudos commissos esse, ad ictum totis corporibus expositos, atque ad caedem sine missione destinatos (160). Unde libenter accederem ad Lipsii sententiam, eos semper, qui a bestiarum certamine relicti fuerint, meridie inter se commissos esse dicentis, nisi inscriptio quaedam me moveret apud Gruterum extans, qua meridianus nominatur qui vicit CIV, secundas tulit XX, cet. (161). Praeter igitur illos miseros morti destinatos, de quibus Seneca loquitur, quum mane eos leonibus et ursis, meridie interfectores inter se obiici dicat, ita ut exitus pugnantium mors sit, quae certamina vera homicidia appellat, cum quibus comparatum quidquid antea pugnatum sit, misericordia habenda sit; erat altera meridianorum classis, de qua nihil tamen amplius novimus. Neque de *paegniariis* qui dicuntur aliud quidquam, nisi quod coniicere ex nomine licet, est quod afferamus. Apparet enim a graecorum vocabulo παίζειν eos esse appellatos, ita ut gladiatores fortasse essent, qui ligneis tantum armis in speciem pugnae certarent. Cum quo ea quoque res congruit, quod Caligula quum feris vilissimis senio confectos ac patres familias debilitate aliqua corporis insignes subiiceret, gladiatores paegniarios iis adiunxit, quippe qui et ipsi defendere sese vix possent (162).

Quod denique nomen *bustuariorum* (163)affertur, ad hanc quidem disquisitionem non pertinet, quia omnes gladiatores, qui ad sepulcra pugnabant, sic appellare licet: neque *catervarii* gladiatorum distincta classis est, sed imperatorum praesertim aetate, quum tantus ederetur gladiatorum numerus, ad omnes appellatio illa pertinere poterat, sicut *gregatim* quoque vocabulum de pluribus una contra plures pugnantibus usurpatum invenimus (164). Praeterea vidimus iustas prope acies in arenam inductas esse. De *postulaticiis*

7

vero, ac *suppositiciis*, qui dicuntur, postea tractabimus: quo quidem loco de ipsa agemus manernm editione.

Iam vero de altero gladiatorum genere agendum est, de iis qui una cum bestiis in amphitheatro exhibebantur, ideoque *bestiarii* vocati sunt. Eorum duo statuenda sunt genera: alteri enim inermes feris lacerandi obiiciebantur, alteros armatos ad pugnandum contra eas producebant, unde his quidem *venatoribus* quoque nomen erat. Neque de illis aliud quidquam eruere potui, nisi criminis titulum affixum iis fuisse (165). Nonnunquam vero gravissimae notae noxii etiam in crucem acti ita bestiis expositi sunt (166).

Genus autem alterum quamquam et ipsum magnam quidem partem damnatis componebatur, nihilo tamen minus, ut familiam gladiatoriam, sic *familias* quoque *venatorias* sive *venationes* (167) invenimus, nonnullorumque venatorum, qui magnam sibi comparaverant famam, tradita nobis sunt nomina (168). Armati erant plerumque venatores venabulo, cuius cuspidi uncus suffixus erat, interdum gladio (169); galea, scuto, lorica carere soleat (170), tunica tantum induti brachiumque sinistram panno circumligato paullulum tuentes.

Neque desunt tamen monumenta in quibus graviore armatura venatores muniti sunt; sic qui apud S. Bartolum (171) reperiuntur pantheras ac leones conficientes, clypeos gestant, quique in lucerna quadam Campanae cum leonibus dimicantes repraesentantur, galeae ac, ni fallor, loricae quoque specie armati sunt. In magna autem illa ac pulcherrima ducis Torloniae venationis effigie venatores galeis et clypeis armati sunt, manicisque inferiorem tantam brachii partem tegentibus, quae pugilum caestibus plane similes sunt, ita ut non venatorum, sed gladiatorum, qui proprie ita dicuntur, armis ornati sint, similesque gravis armaturae, ut ita dicam, venatores in monumento quodam musei pio-clementini cernuntur, quod nunc infixum est supra portam camerae quam dicunt *rotundae*: quin unus etiam cataphractus conspicitur, persica potius, ut videtur, vel parthica, quam romana armatura. Quam tamen rem eo explicavimus, quod romani feris externis eiusdem nationis venatores interdum opponebant; ut numidas quoque cum leonibus pugnasse legimus, aethiopesque cum ursis (172).

Bestias autem ad amphitheatra destinatas *vivariis*, septis videlicet locis, quibus et *leporariis* et *lacubus* nomen erat (173), servatas esse constat, e quibus caveis inclusae in arenam portabantur. Quae quo modo fuerint instructae, gemma quaedam (174) op-

time ostendit, in qua aper e cavea adversus bestiarium exit; atque eadem ratione equidem illam tabulam interpretor, quam Sancles Bartolus (175) nobis asservavit, iu qua caveam ita apertam videmus, ut unum eius latus in terram demissum sit. Censet quidem editor speculum fuisse infixum cistae illi, ita ut reddita ferae imagine venatores cursum eius retardare itaque eam occidere studuerint. Quum vero nimis videatur fabulosa ista ratio, non dubito quin emissam quidem e cavea feram esse dicam, reverti autem timore perculsam, quum sociam occidi viderit. Homo caveae supersedens, eodem prorsus modo in gemma illa stoschiana cernitur, isque esse potest, qui eam aperuit.

Ceterum ferae, leones certe, ita saepe in monumentis conspiciuntur, ut lorum quoddam sive vinculum corpus earum cingat (176), ita ut alligatae saepe exhibitae esse videantur. Atque revera in sepulcro Scauri leonem videmus loro cum tauro coniunctum; qua ratione efficiebatur, ut ad pugnandum quidem contra adversarium satis spatii ac libertatis leoni relinqueretur, nihil tamen ab eo periculi spectantibus immineret. In musivo praeterea musei gregoriani taurus contra elephantum dimicans loro ad annulum terrae infixum alligatus est, eademque ratione et ursus in monumento torloniano, et leo in eo, quod in museo pio-clementino modo citavimus, alligati sunt. Quod vero Sulla primus leones solutos dedisse traditur, utra ratione ante eum alligati fuerint, equidem non diiudicaverim.

Postquam hoc modo, quae ad explicandum musivum burghesianum maxime mihi visa sunt necessaria, pluribus exposui, reliquum est, ut breviter de ipsa munerum editione disseram, ne imperfectam, quam adumbrare institui, rei gladiatoriae relinquam imaginem. Munus autem quum edendum erat, indicibus muro affixis populo pronuntiabatur (177), in quibus et caussa indicabatur, propter quam dari deberet, et cuius gladiatores, vel venatio pugnaturi essent, qui denique dies, quisque ordo ludorum foret, adiectis si quae alia populo grata accessura erant (178). Atque tales etiam libellos palam venditatos esse a Cicerone accipimus, ita ut eadem fere ratione in his rebus versati sint romani, atque in rebus scenicis nostrae aetatis homines (179). Si quis praeterea gladiator famosus in arenam processurus erat, in indice laudabatur nomen (180) eius, addito victoriarum quas reportaverat numero: quin effigies quoque eius cum adversario dimicantis, *rubrica picto, aut carbone*, ut Horatius docet, muneris edicto adiungebatur (181). Quod porro ludi saeculares ita pronuntiati esse traduntur, ut praeco populum ad

eas invitaret (182), ad amphitheatri in universum spectacula eundem equidem censeo pertinuisse morem. Tanto autem studio ad spectacula concurrebat populus, ut gratuita loca interdum de media iam nocte occuparentur (183). Minime enim gratis omnes ludi dabantur, immo tamquam ambitionem quandam vituperat Cicero, quod locus vel in circo vel in foro amicis et tribulibus ipsius aetate a nonnullis dari soleat (184). Etiam Caligulae tempore tantum aberant, ut semper gratis ederentur, ut Dio expressis verbis illum ad celebrandum Drusillae diem natalem gratis spectacula dedisse commemoraverit (185). Per longum vero tempus omnes civium ordines promiscue spectabant (186); donec paullatim senatoribus, equitibus, sacerdotum collegiis peculiaria assignarentur loca (187). Candidis autem vestibus spectabant induti, ipse editor praetextatus (188). Tumultuosa sedebat plebs de sponsionibus concitata (189), ut in circo factioni cuidam aurigarum, sic in gladiatoriis ludis certo cuidam gladiatori, vel armaturae favens (190); etiam, id quod in theatris nostris reperimus, in amphitheatris romanis quoque fiebat, ut empti nonnullorum levitate plausus excitarentur (191).

Ipsi contra gladiatores, quum in publico (192) supremam coenassent, solemni pompa in arenam introducti sunt, duce, ut videtur, editore ipso, quem quum intrasset, surgens universa turba voce ac manu venerabatur (193). Quae autem gladiatorum fuerint arma ac vestimenta, quum satis iam expositum sit, hoc loco illud tantum moneo, saepe munerarios gladiatores suos magnificentia insolita adornatos, tunicis auratis vel purpureis indutos coronatosque produxisse (194), ut in pompa Gallieni mille ducenti gladiatores *pompaliter ornati cum auratis vestibus matronarum* conspecti sunt (195). Hadrianus vero, quum a Pharasmane ingentia dona accepisset, auratas quoque chlamydes, trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam misit munera eius derisurus (196). Torques praeterea ornamenta gladiatorum erant valde usitata (197), atque pennae pavonum (198). Processerunt autem gladiatores in amphitheatrum circumdati arenae ministris; fremebant omnia ubique apparatu mortis; hic ferrum acuebat, ille accendebat ignibus laminas, hinc virgae, inde flagella afferebantur (199), quibus ut, si gladiatorum aliquis cessasset vel dimicare recusasset, a lorariis ad pugnam vi adigeretur (200). Sorte deinde comparatio parium fiebat, ea quidem ratione, ut servarentur nonnulli, qui cum victoribus pugnarent (201), quos suppositicios appellatos esse constat (202). Non semper tamen ita actum esse mihi videtur, ut recentes victoribus opponerentur adversarii. Extat

enim titulus quidam, in honorem P. Baebii Iusti positus (202a); EDIDIT PARIA XI. EX HIS OCCID (it) GLA (diatores) PRIM (ores) CAMP (aniae) XI; ita ex singulis paribus occiduntur singuli, quod *sine missione* dati erant. Ac gravioris fortasse momenti est, quod Caracallae vituperatur crudelitas, quippe qui Batonem ter eodem die dimicare coëgisset (202b). Ea re peracta, arma ei, qui spectaculo praesidebat, probanda quum essent oblata (203), praelusionem primo faciebant rudibus pugnatores, deinde quum tuba signum datum esset, lusoriis remotis dimicare *decretoriis* incipiebant (204). Ipse autem, qui spectaculo praesidebat, vel praetor vel imperator, ut in ludis circensibus fieri solebat, sic in amphitheatralibus quoque *mappa proiecta* incipiendi certaminis signum dedit. Cuius rei licet apud scriptores antiquos, quod ad amphitheatrum spectat, mentionem factam esse non invenerim, satis tamen auctoritatis inesse credo diptychis quibusdam consularibus a Gorio editis (204a), quibus consules cernuntur sellis curulibus, sceptris, tota, qualis postera aetate sunt, magnificentia ornati, mappam vero complicatam dextra tenentes; in inferiore autem eorum diptychorum parte ferarum repraesentantur certamina. Quod vero ad aetatem posteriorem hi diptychi pertinent, de illa sententia me demovere non potest, quum, quae consuetudines in eiusmodi rebus obtinent, ex antiquissimis plerumque temporibus originem ducunt, praeterquam quod ex ipsa iam circensium institutione de spectaculorum quoque amphitheatralium ratione colligere nonnulla licebit. Neque signa solum tuba dabantur, sed per totum certaminum tempus tubas ac cornua tibiasque sonuisse dixerim. Ac tibias fuisse in usu ex epigrammate quodam graeco colligo (205): tubas autem et cornua pugnantibus adsonuisse gemma quadam stoschiana probatur, in qua amphitheatrum cernitur duos quidem gladiatores exhibens pugnantes iisque adsonantes tubicines atque cornicines (206). Aderant porro dimicantibus magistri adhortantes, aut dirimentes (207). Quomodo autem gladiatores dimicaverint, arma submiserint, qua deinde ratione populus pollicis motu de vita eorum aut morte iudicium tulerit, satis notum atque ita a Lipsio expositum est, ut nihil fere quod adiicere possim, equidem habeam (208). Hoc tantum moneo, saepe a populo praeter numerum gladiatorum, qui dicebantur, *ordinariorum* (209), alios nonnullos vel fortitudine vel crimine insignes ab imperatoribus esse postulatos, qui hanc ob caussam postulatitii appellabantur (210). Praemia autem victorum corollaria erant et palmae, saepe quoque rudis tanquam libertatis insigne (211). Occisi

in spoliarium portabantur (212); ibi ii quoque., qui graviora vulnera acceperant, interficiebantur (213), foedissimumque eorum fiabat funus, nisi forte munerarius gladiatoribus, qui fortiter dimicaverant, honestum sepulcrum dedit (214).

Iam paucis de animalium exhibitionibus disserendum est, quae imperatorum tempore tam arcte cum gladiatoriis muneribus erant coniunctae, ut iustum ac legitimum munus id tantum appellaretur, cui bestiae non deessent (215). Atque matutino fere edebantur tempore (216). Committebantur autem bestiae cum bestiis (217) aut cum hominibus, his quidem vel inermibus vel armatis (218). Praeterea e sedilibus spectatores nonnunquam bestias interficiebant (219). Neque singulae solum bestiae in arenam immittebantur, sed multae potius uno saepe tempore; quin magnam invenerant in navis speciem machinam, qua quadringentae ferae simul emittebantur (220). Praeter feras autem bestiae quoque dabantur herbariae sive herbaticae (221), quae saepe quidem ad pugnam erant destinatae, saepe tamen diripiendae populo offerebantur. Quod spectaculi genus silva nominabatur (222) propter arenam in silvae speciem exornatam.

Iam supra quum historiam spectaculorum amphitheatri breviter exponeremus, de illo ludorum genere nonnulla attulimus, quo homines quidem inermes, propugnaculis tamen quibusdam contra ferarum impetum muniti, qui corporum pernicitate cum iis certarent, in arena exhibebantur: quod quidem ludicrum posteriore aetate magis invaluisse probare studuimus. Fusius de hoc Cassiodorus agit, ipsisque eius verbis ad varia eius genera describenda hic utendum esse censeo." Primus, ait, fragili ligno confisus currit ad ora belluarum, et illud, quod cupit evadere, magno impetu videtur appetere. Pari in se cursu festinat et praedator et praeda, nec alter tutus esse potest, nisi huic, quem evitare cupit, occurrerit. Tunc in aëre saltu corporis elevato quasi vestes levissimae supinata membra iaciuntur, et quidam arcus corporeus supra belluam libratus, dum moras discedendi facit, sub ipso velocitas ferina discedit. Sic accidit, ut ille magis possit mitior videri, qui probatur illudi. Alter angulis in quadrifaria mundi distributione compositis rotabili facilitate praesumens, non discedendo fugit, non se longius faciendo discedit; sequitur insequentem, poplitibus se reddens proximum, ut ora vitet ursorum. Ille in tenuem regulam ventre suspensus irritat exitiabilem feram. Alter se gestabili muro cannarum contra saevissimum animal ericii exemplo receptatus includit . . . . . . sic iste consutili crate praecinctus munitior redditur fragilitate cannarum. Al-

ter labenti rota feris offertur, eadem alter erigitur, ut periculis auferatur. Alii tribus, ut ita dixerim, dispositis ostiolis, paratam in se rabiem provocare praesumunt, in patenti area cancellosis se fortibus occulentes, modo facies, modo terga monstrantes, ut mirum sit evadere, quos ita respicis per leonum ungues dentesque volitare » (223).

Quae omnia melius intelliguntur inspectis aliquot, quas edidit Gorius, diptychorum tabulis, quibus varii ludi illis, quos Cassiodorus describit, similes conspiciuntur.

ADNOTATIONES AD PARTEM SECUNDAM.

(1) Tert. de spect. 12.

(2) Cf. Cic. pro P. Sext. 64; qui vehementer invehitur in Clodium, quod ex ergastulis emptos nominibus gladiatoriis ornarit, et sortito alios samnites, alios provocatores fecerit.

(3) Cf. cap. I, 58.

(4) Cf. multas passim inscriptiones, quibus honor aliquis alicui decernitur, quod sua pecunia munus ediderit; e. g. Grut. p. 404, 2; Murat. 617, 4; Grut. 409, 3; 440, 1; 148, 4; itidem huc pertinent, quum, quamquam vocabula *pecunia sua* non adduntur, earum tamen tenore appareat eandem rem essa indicatam.

(5) Cf. quem paullo ante laudavi Cic. pro Sext. 64. „ Ne de venalibus quidem homines electos emerat cet.„ quo loco satis declarari mihi videtur, iam hunc gladiatores comparandi modum non magna laude dignum esse habitum.

(6) Cic. pro Sulla 19, 55. Caesar, quum in Gallia commoraretur, gladiatores suos tirones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites romanos atque etiam per senatores armorum peritos erudiebat, Suet 26.

(7) Cf. Capitol. Gord. 33; Salmas. ad Spart. Hadrian. 19.

(8) Suet. Cal. 27.

(9) Continent plerumque inscriptiones eiusmodi dedicationem statuae alicuius, vel bigae ob merita curatoris munerum. Cf. Grut. p. 421, 1; quae melius descripta extat apud Murat. 684, 1; 479, 12; Mur. 615, 2; 3; 4; 618, 1; 2; 3; 617, 6. Munerarii contra voce ab Augusto inventa ii dicuntur, qui ipsi sua pecunia munus edebant: cf. Florus III, 20, inscr. apud Murat. 616, 1; ap. Murat. 615, 3; 6; Calpurnius Celsus curator etiam muneris publici munerarius dicitur, quod sine dubio non solum publico muneri praefuerat, sed ipse quoque sua pecunia aliud ediderat.

(10) Cf. Cic. pro P. Sextio 64, gladiatores venales. Etiam homines nobiles gladiatores suos locasse demonstrat Cic. ad Att. IV. 46: Gladiatores audio pugnasse mirifice, si locare voluisses, duobus his muneribus liberasses. De coëmenda gladiatorum familia, cf. praeterea Cic. de off. II, 17, 58; pro Sulla 19, 54; ad Quintum fratrem II., 6 all.

(11) Isid. Origg. X. pag. 247; inscr. Grut. p. 333, 1, 2. Lanistarum familiae magna quondam sterilitate ab Augusto urbe expulsae, Suet. 42. cf. Oros. VII, 3. Glossar, ap. Lips. Sat. I. 15; lanista λουδοτρόφος μονομαχοτρόφος, ἐπιστάτης μονομάχων.

8

(12) L. CRANIO. L. FIL.
TERENTINA. ROMANO.
M. IVLIVS. OLYMPVS. NEGO
TIATOR. FAMILIAE.
GLADIATORIAE. OB
MERITA. L. GRANI.
VICTORIS
AVI. EIVS. MERENTI
POSVIT.

Grut. p. 333. Lanistarum enim nomen semper summa ignominia afficitur, ita ut una cum lenonibus saepe commemorentur; cf. Iuv. Sat. VI, 216. De lanistis rebusque ad eos pertinentibus Lips. Saturn. serm. 1, 15.

(13) Cf. Cic. in L. Pis. 12, 27. Ael. Spart. Hadr. 6: Lenoni et lanistae servum vel ancillam vendi vetuit, caussa non praestita.

(14) Fabrettus p. 39, 202.

AMILIA . GLADIA . . . . . .
SALVI . CAPITONIS . A. . . . . .
HIC . SITA
EQ
MANDATVS . RAB. III. 7. II.
TR
SECVNDVS . DOMI . II. 7. II.
C. MASONIVS . VII . 7. II.
HIEROS. D. XII. 7. XI.
OPTATVS . SALVI T
C. ALFIDIVS T
M
C. LEP. PIVS T
IVLIVS T

Comparanda est alia inscriptio apud Fabr. 203, pag. 39, qua multorum dominorum gladiatores recensentur sine dubio ad unam pertinentes familiam; deest enim eius initium, ita ut pro certo de hac re nihil proferre ausim.

(15) Extat tessera gladiatoria apud Murat. 303, 1, verba exhibens:

MYRTILVS
ATTIAE
SP. III. NON. IVN.
L. SVL. L. SVLP.

(16) De thracibus et gallis sufficit meminisse ipsarum armaturarum, quae illorum nomine designantur, de quibus paullo post sermo erit, sicut eo-

rum quoque gladiatorum, qui Spartaco duce Capuae e Lentuli ludo effugerunt, quos thraces et gallos fuisse scimus. Cf. I. n. 13. Ipse Spartacus fuit thrax, de stipendiario miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honorem virium gladiator. Flor. III, 20. Germanorum mentionem facit Seneca, Lucil. 70.

(17) V. tab. III, apud Grut. p. 333, 8, 9, invenimus praeteres retiarios duos alexandrinum et phrygem, vel secundum Murat. 613, 4, tricem sive threcem.

(18) Bellerophon, Telamonius, Meleager, Callimorphus, de quibus postea in ipso opere burghesiano explicando pluribus. Bato in celebri illo monumento villae pamphilianae edito a Winckelmanno Mon. ined. II, 199; quem Batonem, Caracalla imperator, quum ter eodem die dimicare coëgisset, interfectum sepultura magnifica honoravit, Dio 77, 6; Hippolytus in sepulcro Scauri, quod Pompeiis exat; Tetraides, in inscr. pompeiana; apud Orell. 2541. Borysthenes, Callisthenes, Zosimus, Carpophorus, Milstus, Prosodus, Demosthenes, Eleutherus, Zoilus, Diodorus, in inscr. ap. Orell. 2566. Marini Iscriz. Alb. p. 12. Scutillo del collegio gladiat. Philargyrus, Philomusus, Eleutherus, Pamphilus, Apollonius, Philodamus, Myrtilus, Demetrius, Bato, Anthus, Olympus, Hermias, Hyllus passim in tesseris gladiatoriis.

(19) Cf. Quintil. Declam. IX de gladiatore inscripta.

(20) Suet. Vit. 12.

(21) V. Senecae, Tertulliani, Lactantii locos apud Lipsium, Satur. serm. II, 3.

(22) Cf. apud Fabret. 201. p. 39:

L. STLACCIVS
BASSVS
SP. ID. IVN.
M. LICIN. GN. IENT.

Cf. Burghesius, in bull. dell' instit. di corr. archeol.. a. 1842, p 31:

CVRTIVS
PROCVLVS
SP. VIII. K. DEC.
M. VETTIO , M, AR. . . :

Alia quaedam tessera nominat etiam gladiatorem quendam romanum:

FLORONIVS.
ROMANVS
SP. K. DEC.
L. CAN. Q. FABRCOS.

Graecum quidem nomen sine domino in tessera apud Murat. 1995, 7:

HERMIA
SP. A. D. XV. KAL. DEC.
Q. FVF. P. VAT.

Ex inscriptionibus cf. quam antea (n. 14.) laudavi apud Fabr. p. 39, 202; in qua C. Masonium, C. Alfidium, C. Lepidum Pium sine domini nomine habemus: alterumque Fabretti 203. p. 39, quae in magno gladiatorum servorum numero, C. Perpernium, Q. Fabium, C. Mammium, C. Clodium, M. Caeilium, Q. Granium tamquam liberos exhibet.

(23) Cf. Marini, Iscriz. Alb. p. 12.; Orellium, Delectus, 2586; praecipue Seutillum De collegio gladiatorum cet.

(24) Murat. p. 501, 3; iniuria hic citatur.

(25) Ἡ ἱερὰ ξυστικὴ σύνοδος τῶν περὶ τὸν Ἡρακλέα ἀθλητῶν ἀπὸ καταλύσεως ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ κατοικούντων: Spon. Inscr. p. 360, n. 104, 105, 106, quibus inter graeca nomina, romana quoqua nonnulla commemorantur.

(26) Cf. Burghesium in bull. Nap. I. XII, 95; qui observat, sententiam quoque vocabuli armaturae apud Suetonium, Tit. 8, hoc titulo extra dubium positam esse.

(26a) Hoc tamen aliter quoque explicari potest; nam fortasse gladiatores Caesaris sunt, ita ut domini nomen addere non sit necesse: id quod ea quoque re mihi probatur, quod alter curatorum Augusti libertus est. Cum Seutillo autem ludos collegia dici posse persuadere mihi minime possum, cf. De coll. glad. 27.

(27) Cuius sacramenti verba extant apud Petron. sat. 77. cf. Hor. Sat. II. 7. 58. „ Quid refert uri, virgis, ferroque necari Auctoratus eas? „ ubi vetus commentator: „ Gladiatores ita se vendunt et cautiones faciunt: uri, virgis ferroque necari! et mox: „ Qui se vendunt ludo, appellantur auctorati. Auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum cum conditione emptoris. „ Cf. Senecae ep. 37; praeterea vide Lipsium, Saturn. serm. II, 5. Legitimi gladiatores, nescio num dicti sint servi illi lanistae, an potius omnes, qui revera condosnibus susceptis steterint.

(28) Iam Cicero, Tuscul. II, 20, 46, multos metu gravissimas arenae plagas ferre dicit, quamquam interdum quoque gladiatores summo ardore, ut committerentur, flagitarunt; cf. Seneca De provid. 4; Arrian. Epict. Dissert. I, 29.

(29) Invenimus enim pro auctorandi vocabulo, ludo sese vendidisse; cf. quem modo laudavi Horatii commentatorem.

(30) Cf. inscr. apud Fabr. p. 293, XXI; Murat. 618, 4; 619, 1; 620, 4; 846, 4. Grut. 334, 12. Murat. p. 619, 2; familia gladiatoria Caesaris ludi magni commemoratur.

(31) Grut. 335, 2 et 3; 335, 1; Orellius 2554 ex Donatio II, p. 465, 10; Murat. 620, 3; legimus: Ludi matutini Caesaris eet.

(32) Murat. 620, 2.

(33) Cf. Lipsium I, 13.

(34) Plin. N. H. XI, 43, 99.

(35) Et Ravennae quidem Strabonis tempore ludus erat, cf. Str. lib. V; 1, p. 345. t. II, ed. Tauchn. *οὕτως γοῦν ὑγιεινὸν ἐξήτασται τὸ χωρίον ὥστε ἐνταῦθα τοὺς μονομάχους τρέφειν καὶ γυμνάζειν ἀπέδειξαν οἱ ἡγεμόνες.*

(36) Orellius 2332 ex Grutero p. 489, 12 . . . . LVDVM ETIAM GLADIATORVM ET SPOLIAR. SOLO EMPTO SVA PECVNIA EXTRVCTVM PVBLICE OPTVLERIT cet. Tac. Ann. XV, 46, expressis quidem verbis ludum non nominat, sed gladiatores narrat apud oppidum Praeneste tentata eruptione, praesidio militis, qui custos aderat, coërcitos esse.

(37) Quintil. Declam. IX, p. 129, ed. Lugd. pro gladiatore: „In ludo fui, qua poena nullum ulteriorem scelera noverant, cuius ad comparationem ergastulum leve est . . . . . morabar inter sacrilegos, incendiarios, at quae gladiatoribus una laus est, homicidas, inclusus turpiori custodia, et sordido cellarum situ: cf. Lipsium I, 14.

(38) Gladiatoria sagina multis locis ab antiquis scriptoribus commemoratur; sic a. Tac. Hist. II, 88. Propert. IV, 8, 25; Quint. Declam. IX, p. 118 ed. Lugd. „ Alebat gravior omni fame sagina cet. „

(39) Plin. N. XVIII, 14.

(40) Inscr. Grut. 335, 2 et 3; 334, 12; 335, 1; IATPOC. ΛΟΥΔ. MAT. XEIP. Donati II, p. 465, 10, ap. Orell. 2554, Murat. p. 622, 5 cet. Unctorem habemus in inscr. ap. Marini, Iscr. Alb. p. 12, ubi Scutillus victorem emendare vult. Scut. De colleg. glad. p. 18.

(41) Cf. Murat. 618, 4, in qua sermo fit de T. Flavio Germano curatore triumphi felicissimi germanici secundi, donato donis militaribus, torquibus II, et armillis II, corona aurea, hasta pura exornato, sacerdote splendidissimo, cet.

(42) Arrian. Epict. dissert. I, 29.

(43) Apud Orell. 2554, ex Donat. II. pag. 465, 10.

(44) Apud Orell. 2552, ex Murat. p. 620, 4.

(45) Fabrett. inscr. p. 293. XXI.

(46) Cf. Lipsius Saturn. serm. II, 5; praecipue Tertull. De spect. 21; Quintil. Decl. IX. pro glad.

(46a) Cf. die Roemischen Inschriften in Xanten; erklärt von Dr-Fiedler, Wesel, 1839, 4.

(47) Magister samnitium, Cic. de orat. III, 23, 86; doctor secutorum, Fabrett. p. 234, 613; doctor thracum, Fabr. p. 189, 434; doctor myrmillonum, Murat. 2019,6; Donat. II. p. 321, 5. Doctor sagittariorum (Murat. p. 954, Fabr. p. 234, 616,) ad militiam spectare videtur. Mentio fit praeterea doctorum ap. Fabrett. p. 234, 614, 615, ubi quum doctores monumentum ponunt provocatoribus quibusdam, doctores provocatorum indicati esse videntur; cf. Lipsius 1, 15.

(48) Martialis Epigr. V, 25, Hermetem et gladiatorem et magistrum fuisse dicit. Lipsius contra I, 15, Quintilianum laudat dicentem: In ludo fuit: fuerunt doctores, medici, et ministri, neque tamen illo gladiatorum nomine tenentur.

(49) De re milit. I, 11; cf. Iuv. VI, 248; Martial VII, 32, 8.

(49a) Iam lucernam illam proposui in concilio instituti archaeologici, cuius rei mentio facta est in eiusdem instituti Bullettino anni 1843, p. 93. V. tab. VII. num. 2.

(50) cf. e. g. Cic. ad fam. IX, 22. Rudem graeci νάρθηκα interpretantur, Dio de Commodo 72, 19; cf. Lips. Sat. 1, 15, batualia etiam pro ludis usurpantur; nam gloss. batualia γυμνασίαι τῶν μονομάχων.

(51) Seneca apud Lips. Sat. I. 15,

(52) Cic. De orat. III, 23, 86; Tertull. ad martyres I; in Suet. Caes. 26, Iuv. ad quos locos cf. Lips. Sat. I, 15.

(53) Plin. N. H. XI, 53.

(54) cf. inscr. ap. Orell. 2566, Marini Iscriz. Alb. p. 12, in qua semper VET aut TIR gladiatorum nominibus additum est. Fabr. 202, 203, p. 39, T idem significat quod TIR Gladiatores consummatos pro iisdem cum veteranis habuerim.

(55) Cf. Labus, ad Morcelli Dalla tessere degli spettacoli romani, Milano, 1827, n. XXI, et Bullett. dell' instit. archeol. 1834, p. 231, qui extra omnem dubitationem posuit, eam esse tesserarum gladiatorum significationem, ut cuiusque gladiatoris victoriae tali insigni retinaretur memoria; *spectatus* igitur significari litteria SP. sive SPECT (Fabretti 195, p. 39), non *spectabitur*, id quod vult Arditi, De tesseria gladiatoriis, p. 26, qui pro invitatione quadam ad ludos spectandos tesseras habet: neque *spectavit*, ac si gladiator post victoriam statim libertate donatus atque inter cives ad spectacula videnda admissus sit, quum etiam in pluribus tesseris idem nomen reperiatur.

(56) Orell. 2566, et Marini Iscr. Alb. p. 12.

(57) Labus ad illam, quam laudavi, Morcelli dissertationem, ib. Inscriptio pompeiana, apud Orell. 2541, habet PRVDES, I, XIIX, ubi littera I, *invictus* significat. cf. quoque Orell, 2571, ex Torremuzza p. 62, 8, FLAMMA SIC. VIX. ANN. XXX. PVGNAT XXXIIII. VICIT. XXI. STANS, VIIII. MIS. IIII.

(58) Suet. Tib. 7.

(59) Inscr. apud Orell. 2570, e Grut. p. 374, 5, de qua cf. Gervasium, Intorno alcune antiche iscrizioni ec. Napoli, 1842, 4; p. 2, seqq., qui num recte gladiatores primores Campaniae pro iisdem habeat cum victoribus, non satis mihi liquet, sicut et ipse vir doctus dubitanter tantum illam coniecturam profert; leguntur autem verba illa in titulo quodam in honorem P. Baebii Iusti posito, de quo iam Marini. Arv. p. 561.
HIC MINT (urnis) DIEBVS IIII. EDIDIT PARIAXI. EX HIS OCCID (it) GLA (diatores) PRIM (ores) CAMP (aniae) XI. VRSOS. QVOQVE CRVDEL (es) OCCIDIT etc.

Vocabulo primores fortasse nihil aliud, nisi praestantes, fortitudine excellentes, significatur. Cf. Curionis spectacula ap. Plin. N. H. 36, 15; Grut. p. 333, 3.

(60) Lips. Sat. II, 23; cf. Iuven VI, 113; Cic. Phil. II, 29, 74; Tertull. De spect. 21; Suet. Claud. 21.

(61) Hor. Epist. I, 1, 14; ap. Murat., pag. 61, 11, extat titulus:

C. MELSONIVS GN. L.
HERCVLEI
DONVM

qui, quum iuxta amphitheatrum Tarenti repertum sit, a gladiatore fortasse arma dedicante positus est.

(62) Schol. ad Iuv. sat. VI. 105: „Nam Sargiolus iam radare guttur Coeperat, et secto requiem sperare lacerto. „

(63) 7. de militum centuriis vel centurionibus, e. g. ap. Spon, p. 24, 7; et p. 254. Fabrett. Inscr. p. 62, de gladiatoribus apud Orell. 2566; Marini Iscriz. Alb. p. 12; Fabretti p. 39, 202 et 203.

(64) Murat. p. 613, 3; 1252, 4; apud Orell. 2575; Grut. 57, 8; Murat 619, 3; Or. 2573; Marini, Arv. II, pag. 682; ap. Orell. 2574; Murat 619, 2; TROPHIMVS. AVGVSTI L. SECVNDA. (R) VDIS FAMILIAE, GLADIATORIAE CAESARIS. LVDI. MAGNI etc.

(65) Lamprid. Comm. 15; Inscr. Murat. 617, 1, ap. Orell. 2572; Dio 72, 22; Welcker. Sylloge epigr. 47 et p. 61.

(66) Sat. II, 7; neque enim noverat titulos lapidi insculptos, et deceptus ast corrupta Lampridii lectione, apud quem pro Palo Paulo legitur.

(67) Welckerus, Sylloga p. 65, seq. De tribus illis in gymnasiis graecorum ordinibus nuper summa, qua solet, doctrina egit pater reverendissimus Secchi in doctissima, quam conscripsit, musivi antoniniani illustratione, p. 65, ubi et sortiendi ratio exponitur,

(68) Lamprid. Commod. 15.

(69) *τὸν Θρασὺν ἐν σταδίοις ἰσο[ρά]ς με νέκυν, παροδῖτα, ται[νί]α ῥητιάριν, δεύτερον πῶλο[ν, Μ]ελάνιππον κτλ.* Quamquam totus versus corruptus esse videtur, syllabis tamen ultimis α longum esse demonstratur.

(70) Quamquam Livius, IX, 40, campanos ab odio et superbia samnitium gladiatores eo armatu armasse dicit.

(71) Extat exempli gratia monumentum sepulcrale M. Antonii Exochi *Thracis* natione *Alexandrini*. Cf. Grut. 335, 5; Fabretti, Col. Trai. p. 256.

(71a) Senec. De brev. vit.

(71b) Plin. N. H. VIII. 54.

(71c) Ibid. c. 70; Suet. Claud. 21.

(71d) V. quae de hac re disserui in ipsa monumenti torloniani illustratione, Annales Instituti tom. XIV.

(72) Apud campanos commemorantur circa annum U. 445, quum gladiatorum spectacula Romae primum edita esse scimus initio primi belli punici.

(73) Lips. Sat. I. 8.

(74) Liv. IX, 40.

(75) Quamobrem Spartaci asseclae post primam victoriam statim occisorum militum armis se induerunt : cf. Plut. , Crass. p. 547 , E.

(76) Iuv. Sat. VI, 255 seqq. Quamquam scholiasta de retiario eum verba facere dicit , qui neque galea , nec scuto , neque ocrea armatus est.

(77) Cf. II , 11. *Pinnirapi* igitur , quos dicit Iuv. III. 158, pro samnitium adversariis habendi sunt.

(78) Cf. Lucernae veterum sepulcrales iconicae , editae a Petro Sancte Bartolo. cet. pars. I , t. 22.

(78a) Tab. VII , n. 3.

(79) Gemma illa a v. cl. Braunio mihi donata est (t. VII n. 5). Littera Γ, vetere forma graeca , mendo quodam lapidis corrupta est. Galeae in illa expressae forma plane eadem est cum illis , quae Mus. Borb. t. VII, tab. 14, repraesentatur.

(80) Winckelm. Mon. ined. II, 199.

(81) id quod fecit v. cl. Avellinus , Iscrizioni e disegni graffiti p. 7.

(82) Cf. mus. burghes.

(82a) Sat. V , 18.

(82b) I , 20.

(83) Tert. De spect. 25.

(84) Ut vult Forcellinus s. v.

(85) Lipsio enim , qui spongiam Livii pro Iuvenalis balteo habet , assentiri non ausim.

(86) Reiz, Lectiones de antiquitt. rom. p. 582. Iam Lipsius, II, 11, samnites et hoplomachos pro iisdem habet.

(87) Apud Fabretti 203, p. 39:

OPL
PHAEDER. AVIL. T

postea

SAM.
STRABO . DON. III. Ↄ· III.

(88) Commemorantur hoplomachi apud Senec. Controv. III ; Mart. VIII , 24 ; inscr. apud Murat. 576 , 2.

(89) Artemid. Oneirocr. II , 33., quae verba ad samnites Lipsius refert, II. 11.

(90) Suet. Cal. 36.

(91) Siquidem recte sic legitur , pro crupellariis, Tac. ann. III , 43 Clibanarii autem milites toto corpore ferro tecti saepius vocantur. cf. Lampr. Alex. Sev. 56; Rufi Breviar. 15; Eutrop. VI , 9. Nazar. Paneg. ad Constantin. 22.

(92) Lydus De magistrat. rom. 1 , 46.

(93) Lips. II , 11.

(94) Extat in collectione viri ill. Kestneri. Lucerna; quum paullulum iniuriam temporum experta sit, neque galee num metallo, en corio facta sit, satis elare cernitur, neque num manicas portent gladiatores.

(95) Cf. lncernam epud S. Bertoli I, 22.

(96) Lips. II, 11; Cic. pro Sext. 64.

(97) Cf. L'ees gravo del museo kircheriano cl. IV, 2; et tab. tituli.

(98) Tab. VII, 6.

(99) Cf. Lips. Sat. II, 10; Forcellinum, lex. Dicit etiem Festus: „ Retiario pngnanti adversus myrmillonem cantatur: non te peto, piscem peto, quid me fugis, galle. Quia myrmillonum genus armatura gallica est insigne. myrmillones ente galli appellabentur in quorum galeis piscis effigies ineret. „

(100) Fabr. 203. p. 39.

(101) Piseis nomen plerumque dicitur *μορμύρος*. Legimus eutem epud Athenaeum VII, p. 313. E. *Ἐπίχαρμος δ' ἐν Ἥβας γάμῳ μύρμας αὐτοὺς ὀνομάζει, ἢ μὴ διάφοροι τὴν φύσιν εἰσίν*.. Itaqne de hac forma posteriore nomen melius deducitur, atque myrmillo, non mirmillo ecribitur; in inscriptionibus quoquo latinis plerumqne MVR scribi eolet; of. Fabr. 203, p. 39; Marin. Iscriz. Alban. p. 12, ep. Orell. 2566; in graecis vero ΜΟΥΡΜΙΛΛΟΝΕΣ extat; cf. Sponii Miscellanee eruditae entiquitatis p. 347. n. 78. cf. etiam Sehol. ad Iuv. VIII, 100: Myrmillo armaturae gallieae, cui nomen ex pisce inditum, cuius imago in galea fingitur.

(102) Festus s. v. myrmillonica.

(103) XVI, 22; XXIII, 6.

(104) Cassides delphino insignitas O. Müllorus ad Festnm s. v. retiario pro myrmillonum galeis habet cum Olenio, Essai sur le costume des gladiateurs p. 3. Satis tamen demonstrasse mihi videor illam certe eiusmodi cassidem, quae in Mus. burb. asservatur, ad samnites potius pertinere.

(105) Cf. Ausoninm ep. Lips. II, 10, et quos Ammiani Mareellini locos antea attulimus. E monumentis fortasse lucerna quaedem Kestneri huc pertinet, in qua gladiator cernitur genu dextro innisus, scuto protento sese operiens, sinistro crure, ut mihi quidem videtur, ocrea brevi armatus.

(106) Cic. Phil. V, 7; 20; VII, 6, 17; Suet. Cal. 32; Dom. 10; Iuv. VI, 260, VIII, 200; Quintil. VI, 3.

(107) Cf. n. 99.

(108) Quemvis enim ingeniosa, nimis tamen incerta Lipsii (Sat. serm. II, 9) conieetura est, que Livii verba ita supplet:„ Itaque qui primo ab Rome, magnis preemiis paratos gladiatores areessere solitus eret, iem suo . . . e regno Romem mittebat.„

(109) Suet. Cal. 54. Tit. 8.

(110) Verissima enim Lipsii (II, 9) coniectura, qua epud Artemidornm, Oneiroer. II, 33, legit *εἰ μὲν Θρακὶ* (pro *Θώρακι*) *πυκτεύει τις, λήψεται γυναῖκα πλουσίαν μὲν διὰ τὸ κατασκεπᾶσθαι ὅπλοις, πανοῦργον δὲ διὰ τὸ μὴ ὀρθὸν ἔχειν τὸ ξίφος, φιλόπρωτον δὲ διὰ τὸ ἐπιβαίνειν*.

(111) Cf. Sepulcrum Scauri Pompeiis; exta ap. Mazois, Ruines de Pompei I, pro galea cristata threx, qui eum samnite dimicat, in lucerna a S. Bartolo edita cassidrm portat, cui anguis insigne affixum est; lucernae plures e collectione Kestneri, Braunii, Campanae threces exhibent ef, t. VII, n. 2, 4; 7, 9.

(112) Festus s. v. Plin. N. H. 33, 45.

(113) Parmulam illam rotundam praeter hunc unus tantum gladiator in Scauri monumento habet. De sicae nomine atque origine quae fabulatur Isidorus v. Origg. XVIII, 6. Plura sicae exemplaria exhibentur in lucernis Kestneri; v. 111. Nescio an pro Threce habendus sit, qui apud Gruterum p. 334, 4, commemoratur: FLAMMA. SIC. VIX. AN. XXX. PVGNAT. XXXIIII. VICIT. XXI. etc., SIC. *sicarius* esse debet, sicarius autem in rebus gladiatoriis fortasse threx est, nisi potius SEC, *secutor* legendum est.

(114) Fabr. Col. Traiana 286.

(115) Edidit hanc inscriptionem v. cl. Burgesiur in bull. napol. I fol. XII, p. 95, (cf. supra). Qui tamen vir summus in ea re paullulum a vero aberrat, quod scutum illud threcibus peculiare esse dicit, quum apud samnites certe idem quin usitatum fuerit, secundum ea, quae de eorum armis ex monumentis eruimus, dubium esse nequit.

(116) Maffeius Mus. Ver. p. 444, 2.

(117) Cf. Scauri sepulcrum; lucernas Kestneri; lucernam Campanae, t. VII, n. 2 4; 7; 9.

(118) Senec. Quaest. nat. IV, 1.

(119) Cf. 95., et 106

(120) Retiarius ab armaturae genere, in gladiatorio ludo contra alterum pugnantem occulte ferebat rete, quod iaculum appellatur, cet. Is. or. XVIII, 51.

(121) Veget. De re milit. I, 20. Retiarium facie detecta ac nuda pugnasse demonstrat quoque Suet. Claud. 34, Iuv. VIII, 204.

(122) Cf. Monum. burghes., ubi omnes prope, nisi qui manicis squamatis utuntur, ea ratione muniti sunt; sepulcrum Scauri; gladiatorum monumentum muro prope Caeciliae Metellae sepulcrum affixum; aliud editum a Gorio Inscript. Etrusc. III. p. 99. v. t. IV, 1; lucernam mus. kircheriani, in qua retiarius cum secutore dimicat.

(123) Qui galerus a Iuvenali Graccho retiarii armis pugnanti adscribitur. Sat. VIII, 208:

„ Credamus tunicae, de faucibus aurea quum se
Porrigat et longo iactetur spira galero? „

(124) Isid. Orig. XVIII, 30; cf. Servius ad Virg. Aen. II, 683; VII, 688; Fulvosque lupi de pelle galeros.

(124ᵃ) Schol. ad Iuv. VIII, 208.

(125) Isid. Orig. XVIII, 14.

(126) Tertull. De spect. 25.

(127) Mus. burg. t. III.

(128) Winckelm. Mon. ined. II, 197

(129) Ibid. Ceterum retia usus in bello satis antiquus fuisse videtur, id quod sive fabula sive historia de Pittaci contra Phrynonem certamine probatur cf. Str. XIII. p. 600; Plut. de Herod. malign. 15; Diog. Laert. vit. Pitt., a quo tamen romanorum retiarios deducendos esse, satis iam refutavit Welckerus, Sylloge p. 60.

(130) Isid. Origg. XVIII, 51.

(131) Extat retiarius fuscinam ac rete gerens apud Gorium Inscr. Etr. III, 99, cuius rete si cum altero illo apud Winckelmannum comparaveris, valde parvum esse apparet, complicatum credo.

(132) Cf. Mazois, Ruines de Pompei p. 51.

(133) Val. Max. 1, 7, 8.

(134) Praeterea in musivi Winkelmanni parte superiori Kalendio pugionem manu gerit; ceterum fuscina non semper erat tridens, sed nonnunquam etiamsi quinque cuspidibus munita; cf. quae v. rev. Cavedoni scripsit in Bullettino dell' instituto, 1834 p. 232.

(135) Nescio num laqueatori manicarius adiungendus sit, quem semel tantum (inscr. ap. Orel. 2566, Marini Iscr. Alb. p. 12) commemoratum reperi; sic enim vult Scutillus in diss. de collegio gladd. p. 17, quia manicae pro laqueis quoque seu catenis usurpantur, quibus manus devinciuntur. Huic accedit quoque Forcellinus, in Lex., neque ego, quid melioris afferam, habeo, quamvis incerta illa opinio mihi esse videatur.

(136) T. VII, n. 10.

(137) Postquam librata pendentia retia dextra
Nequidquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit et tota fugit agnoscendus arena.

Iuv. VIII, 202 seq. Ad hanc certaminis varietatem et quasi levitatem spectant quoque quae dicit Artemidorus Oneirocr. II, 33. εἰ δὲ ῥητιαρίῳ (πυκτεύει) λήψεται γυναῖκα ἄπορον καὶ ἐρωτικὴν καὶ φυγάδα, ῥᾷστα τῷ βουλομένῳ πλησιάζουσαν.

(138) Secutor est ab insequendo retiarium dictus, Isid. Origg. XVIII, 52 cf. Artemid. Oneirocr. II, 33.

(139) Ap. Murat. Inscr. p. 617, 1; In munumento apud Gori, Inscr. Etr. III, 99, in cuius parte altera retiarii effigies insculpta est, altera gladiatoris figuram exhibet palmam manu tenentis, eius, credo, secutoris, qui illum vicit, hic quoque ocreis non est munitus.

(140) Cf. quoque Dio 72, 19, qui amicos narrat Commodum osculatum esse ὥσπερ εἶχε, διὰ τοῦ κράνους. Secutoris autem armis utebatur Commodus cf. ibid. et 22.

(141) Gestabat enim cuspidem, et massam plumbeam, quae adversarii iaculum impediret, ut antequam ille feriret, rete iste superaret origg. XVIII 52.

(142) Verona illustrata V, 11.

(143) Isid. origg. XVIII, 54.

(144) Artemid Oneirocr. II, 33 ubi emendatio vocabuli προβάκτωρ in προβοκάτωρ certissima est,

(145) Isid., Origg. XVIII, 54.

(146) Nominis provocatoris loco, quod apud Ciceronem legitur, in inscr. apud Orell. 2567 provocans legitur: ceterae inscriptiones omnes nihil nisi PROVOK. (Orell. 2568) vel PROV. (Orell. 2566 ex Marini iscr. Alb. p. 12) exhibent. Velites inter gladiatores fuisse negavit Fabr. inscr. 203, p. 39, VEL velarios interpretatus: sed velarii ipsi non erant gladiatores, sed milites plerumque navales (Lamprid., Comm. 15), neque eos inter gladiatores recenseri credere possum. Praeterea habemus Isidori testimonium haud dubium, et, si recte emendavit Rigaltius in notis ad Artemid. Onairocr. II. 33, ibi quoque pro vocabulo ὀρβήλος, quod nullum est, αὐήλης legimus.

(147) Cf. Lips., Sat. II, 12; clauros omnino eorum oculos fuisse Avellinus vult in libello de inscriptionibus quibusdam in muris pompeianis extantibus n. 9. cf. Hieronym. adv. Halvid. 3; adv. Iovin. 36.

(148) Artemid., Oneir. II, 33.

(149) Isid., Origg. XVIII, 50.

(150) Cf. Scauri sepulcrum.

(151) Cic. ad fam. VII, 10.

(152) Philargyri Comm. in Virg. Georg. III, 204.

(153) Murat. 613, 3.

(154) Artemid., Onairocr. II. 33; Lipsius II, 12.

(155) Commemorantur ab Artemidoro, Onair. II, 33, et interdum in inscr. e. g. Murat. 603, 3.

(156) Cf. Mus. burb. VIII, tab. 7 a 8.

(157) Martial. V, 25.

(158) Murat. p. 613, 3.

(159) Dio 60, 13; cf. Suet. 34.

(160) Senecae ep. ad Lucilium 8; cf. 96; unde Tertull., Apolog. 15, de ludiaris meridianorum crudelitatibus loquitur.

(161) Grut. p. 335, 4, apud Orell. 2587.

L. ANNAEVS ‖ MER ‖ VICIT CIV ‖
SECVND. TVLIT. XX. IIIIX ‖ TERT. TVLIT.
XIIX. PAL. ET. COR. . . . V ‖ DIVI TRAIANI II.
AVG. MVN: in qua MER nullo modo nisi pro meridiano explicari potest.

(162) Suet., Cal. 26. Commemorantur praeterea in inscript. ap. Marini Iscr. Alb. p. 12, Orell. 2566, qua emendatio quoque Lipsii, qui Sat. II, 14. pegmares cum Casaubono legere vult, refutatur.

(163) Servius ad Virgil. Aen. X, 519.

(164) Suet., Cal. 30.

(165) Suet., Dom. 10. Homo feris sine armis obiectus aspicitur in sepulcro Scauri.

(166) Martial., De amphith. 7.

(167) Cf. inscr. Grut. p. 334, 11. Avellinus, Osservazioni sopra alcuna iscrizioni e disegni graffiti ec. p. 20: HIIC VIINATIO PVGNAIIT est.

(168) A Martiali Carpophorus quidam celebratur, Amphith. 15, 27. Praeterea in inscriptione quadam pompeiana verba sunt: T. FELIX AD VRSOS PVGNABIT. Is quoque, ut venator egregius fuerit, necesse est: cf. Avellinum, l. l.

(169) Bestiarios venabulo armatos reperies in musivo burghesiano, in sepulcro Scauri, in lucernis cett.; gladio instructos in sepulcro Scauri, in figura musei clarsmontani gladiatoris cum leone dimicantis.

(170) Cf. monumenta, et Iuv. IV, 99.

(171) Santi Bartoli, Pitture antiche delle grotte di Roma II, 27, 28; cf. monetam venationem exhibentem, L. Reguli nomine ornatam.

(172) Plin. N. H. VIII, 20, 54. De monumento torloniano cf. quae in Annalibus instituti archaeologici pluribus a me exposita sunt; vol. XIV, 1842.

(173) Gell., Noctes Att. II, 20. Custos vivarii, Murat. p. 251, 3: lacus, Murat 611, 4.

(174) Cf. Winckelmann, Catal. coll. stoschianae p. 475 n. 69.

(175) Cf. Vop., Prob. 19. Pitture antiche delle grotte di Roma II, 28.

(176) Cf. Gerhard., Antike Bildwerke, Cent. I, t. 79.

(177) Edicta quoque munerum appellabantur, Senec. op. 119.

(178) Extant nonnullae, quae hoc loco afferendae sunt, inscriptiones pompeianae:

MAIO
PRINCIPI COLONIAE
DEDICATI (FOI7) NE FELICITER
. . . . RVM. MVNERIS CN. ALLEI NIGIDI MAI
. . . VENATIO. ATHLETAE
SPARSIONES. VELA. ERVNT

Cf. Guarini, Fasti duumvirali p. 92.

A. SVETTII. CERII
AEDILIS. FAMILIA. GLADIATORIA. PVGNABIT
POMPEIS. PR. K. IVNIAS. VENATIO. ET. VELA
ERVNT.
et FAMILIA GLADIATORIA
VENATIO ET VELA

Museo borb. I, Rel. degli scavi p. 2:

AD. PAR. X.
RVFI. PVG. MALA ET (vela)
II NONAS A (priles)
ET. VENATIO

Ap. Guarin. p. 133, 11:

N. POPIDI
RVFI. FAMILIA. GLAD. IV. K. N. POMPEIS
VENATIONE
EX. XII. K. MAI. MALA ET. VELA ERVNT
O. PROCVRATORES
FELICITAS

Ibid. 133, 12.

M. FISTI. AMPLIATI.
FAMILIA. GLADIATORIA. PVGNA.
ITERVM
PVGNA XVII. IVN. VENAT. VELA.

Ibid. 171, 2. Cf. p. 73, 109. Avellin l. c. p. 20.

(179) Lipsius, Sat. II, 18.

(180) Trebon. Pollio, Claud. V, p. 361.

(181) Hor. Sat. II, 7, 95. Pro talibus ludorum indicibus rudes gladiatorum effigies fortasse habendae sunt, quae Pompeiis adhuc extantes a v. d. Avellino editae sunt, Osservazioni sopra alcune inscrizioni cet. 1.

(182) Suet., Claud. 21. ,, Convenite ad ludos spectandos, quos neque spectavit quisquam neque spectaturus est.,, Haec verba formula erant praeconis ad ludos saeculares populum convocantis.

(183) Suet., Cal. 26.

(184) Cic. pro L. Muren. 34 cf. Labus ad Marcelli diss. de tesseris. roman. VIII.

(185) Dio l. 59, 13.

(186) Val. Max. V, 51.

(187) Suet. Claud. 21. Dio 60, 7. Val. Max. II, 4, 3, Tac. an. XV, 32. Marini Frat. Arval. p. 130, ap. Orell. 2537. Murat. p. 312, 1. Iam Ciceronis aetate interdum, si qui provinciales Romae erant, a patronis loca iis dabantur, Cic. ad Att. II, 1; cf. praeterea Lipsium de Amphith. 16.

(188) Cf. Martial. IV, 2; Cic. in Pis. apud Lipsium Sat. I, 13.

(189) Tertull. De spectac. 16; cf. Martial. apud Turneb. Advers. VIII, 4.

(190) Sic ipsum Titum threcum armaturae favisse vidimus.

(191) Cic. pro Sext. 54, 118.

(192) De bestiariis hoc dicit Tertull., Apol. 42; id quod ad omnes eodem modo referendum esse censeo.

(193) Suet. Claud. 12; cf. praetoris in ludis circensibus pompam.

(194) Plutarch. περὶ τῶν ἀπὸ θεοῦ βραδέως τιμωρουμένων. Lampr., Comm. 15

(195) Treb. Poll., Gall. 8.

(196) Ael Sp., Hadr. 17.

(197) Cf. Iul. Cap., Pert. 8., de publicandis Commodi armis gladiatoriis.

(198) Vet. Schol. Iuv. III, 158.

(199) Quintil., Declam. 9, de glad. p. 119, ed. Lugd. cf. Lipsium, Sat. II, 19

(200) Tertull. De spectac. 21.

(201) Plin. ep. VIII, 14; fallitur, qui ab editore commissa esse dicit paria Lipsius II, 19.

(202) Cf. Martial V, 24.

(202a) V. apud Marini F. A. p. 561; denuo editum apud Gervasium, Alcune iscr. ant. p. 9, qui laudat v. cl. Visconti coniecturam pro XI VI legentis, quod in fine tituli additur: in dies singulos occidit quaternos, quae ratio efficitur, si VI gladiatoribus X ursi adduntur. Mirum tamen esset, si ita gladiatores atque ursi una commemorarentur.

(202b) Dio l. 77, 6.

(203) Suet., Tit. 9, cf Cic. pro Sulla 19, 55; Dio 68, 3.

(204) Cf. quos locos affert Lips. II, 19, quibus addere licet versum epigrammatis a Welckero explicati, Sylloge 47, 3.

Οὐκέτι χαλκ[ελά]του φωνὴν σάλπιγγος ἀκούω,

spectantem ad retiarium mortuum.

(204a) Gori, Thesaurus veterum diptychorum, tom. I, tab. 1, 7, 11, et 12.

(205) Welcker, Syll. 47, 4.

Οἶδ' ἀΐνσωυ αὐλῶν κέλαδον ἄθλων ἀνεγείρω

(206) Cf. quoque Gerhard, Antike Bildwerke, I, 79, ubi homo cornu sonans cum leone cernitur.

(207) Tertull., Ad martyres I, cf. Winckelmanni musivum et lucernam apud S. Bartolum, I, 22.

(208) Lips., Sat. II, 20, 22, decumbere, ferrum recipere.

(209) Senec., De benef. II, 28 et ep. 7. Lips., Sat. II, 17; Suet; Aug. 45.

(210) Sen. ep. 7. cf. Suet., Domit.; 4; Claud. 21; Cal. 30; Dio, 69, 6; Plin., Paneg. Trai. 33.

(211) Suet., Aug. 45; Cal. 32; Claud. 21; Martial., Amphith. 203; Treb. Pollio, Gall. 12; Palmae lemniscatae, Cic. pro Rosc. Am. 55.

(212) Aurel. Vict. de Caess. 11; Lamprid., Commod. 18.

(213) Sen. ep. 94.

(214) Cf. inscr. ap. Grut. p. 333, 4. Fabr. 205, 39.

(215) Suet., Claud. 21.

(216) Cf. Suet., Claud. 34; Ovid., Met. XI, 26 cet. Seneca ad Lucil. 8. cf. Bulengerum, De venatione circi, 34.

(217) Elephanti et tauri, Martial. in amphith. 17; rhinoceros et tauros, 9, et ursus, 19.

(218) V. quae ante attulimus de bestiariis.

(219) Cf. Suet., Tib. 72; Dio 63, 3.

(220) Cf. Dio 76, 1, gemma stoschiana ap. Winckelm. p. 460. n. 65.

(221) Murat. p. 654, 1. Vop., Prob. 19.

(222) Cf. Vop., Prob. 19 Iul. Cap., Gord. 3. Simili iam ratione Nero, Titus, Domitianus tesseris emissis inter ceteras varias res bestiae quoque civibus donaverant, sed silvae nomen non ante Gordianum commemoratur: cf. Dio 61, 18; 66, 25; Martial. 9, 78.

(223) Cassiod., Variar. 42.

PARS III.

Iam vero, praemissis quibus ad melius explicandas musivi burghesiani figuras opus esse credidi, ad hanc ipsam suscepti laboris partem ut transeamus necesse est, quam brevius paullo tractare licebit, quum de plerisque rebus, quarum in ea habenda erit ratio, satis iam actum sit, ita ut, revocatis illis in lectorum memoriam, non multum supersit quod addi possit.

Ac primum quidem de loco, quo effossum musivum est, agendum erit: de qua re quum summa qua solet diligentia, eo ipso, quo vix repertum erat, tempore vir clarissimus Canina retulerit, iam huius verba repetiisse sufficiet. Detectum igitur est mense septembri anni 1834 sub radicibus collis tusculani prope agrum quendam, cui Turris novae hodie nomen est, quemque Attilii Reguli villam Pupiliam olim occupasse dicunt (1). Ipse vero, quo repertum est, locus pars est villae cuiusdam antiquae, vastissimae ac sine dubio splendidissimae, in qua unum latus porticus eius, qua peristylium interius cingebatur, pavimento tam nobili ornatum erat, quod longum quidem centum quadraginta palmos, largum autem duodecim, divisum erat in quinque tabulas maeandro cinctas et ipso e musivo facto, duorum solum colorum; compositum autem est opus maximam partem e marmore lapidibusque naturalibus, additis quidem calculis vitreis, quo melius colores redderentur, at paucissimis. Addit v. cl. Canina, effossum iam olim fuisse musivum illud; praeterquam enim quod villa, in qua repertum est, omnibus ornamentis suis privata erat, ipsi loco semper nomen *Quarto della giostra* permanserat: *giostre* autem apud recentiores romanos hominum cum bestiis certamina vocantur. Qua vero aetate opus illud egregium factum sit, pro certo quidem statuere conatus auctor noster non est: e tota tamen eorum, quae de vetere aedificio restant constructione, ante Caracallae tempus id ponendum esse colligit. Quae quidem res eo gravioris momenti est, quia veram muneris,

quod eo tempore editum erat, effigiem musivo nostro nobis repraesentari credere licet. Romanos enim imperatorum aetate, quae dederant munera, picta in aedificiis vel publicis vel privatis exposuisse, ipsis gladiatorum redditis imaginibus, antea vidimus. Quum autem omnibus qui musivo nostro exhibentur gladiatoribus nomina apposita sint, quin ad illud operum genus pertineat, non est quod dubitemus: praesertim quum, quamvis subrudes sint figurae neque satis eleganter expressae, plurimum tamen inter se differant eorum et vultus et corporum habitus ac statura. Haud facile, ut unum solum exemplum afferam, meliorem inveneris effigiem gladiatoris ludorum sagina repleti, quam Entini, quae tabula nostra prima extat, imaginem.

Gladiatores autem in musivo nostro repraesentatos, si in universum observaveris, facile barbara eos esse origine cognoveris. Id quod, praeter corpora eorum, robusta rudiaque faciei lineamenta rutili praesertim, qui plerosque ornant, promissique capilli confirmant, ita ut pro septentrionalium regionum indigenis sive gallis, sive germanis, sive denique aliis habendi sint. Ad gallicam autem originem nescio an spectet nomen quoque Rodani, quod adscriptum cuidam est, eam fortasse ob caussam a domino ei datum, quod ad Rhodanum fluvium natus esset. Quamquam nonnullis quoque inscriptionibus id ipsum nomen perhibetur (1), quas ad gallos pertinere probari certe non potest. Alia porro nomina, ut *Baccibus*, *Entinus*, pro quo tamen Canina loco laudato PIACENTINVS habet, *Mazicinus*, barbara plane sunt, adiuncta tantum latina terminatione: *Eliacer* vero et *Sabatius* iudaeorum videri esse appellationes iam antea suspicatus sum (2): licet Sabatius deum quoque Sabatium, qui est sive Iupiter, sive Liber orientalis (3), indicare possit, certo tamen ad orientem pertinet. Alia sunt nomina e lingua graeca petita: id quod, quum toto hominum conspectu graecos eos non esse facile intelligatur, illam quam de nominibus a domino gladiatoribus datis antea exposuimus sententiam, maxime confirmat. Immutata autem plerque sunt, ac paullulum ad latinae linguae indolem adaptata; sic pro *Bellerophon* scriptum invenimus *Bellerefons* (4), atque in Callimorfi appellatione f. certe pro ph posita est. Praeterea nomen quoque *Astivi* graecae originis videtur: quam appellationem a graecorum ἀστεῖος equidem derivaverim, ut Argivus dicitur pro Ἀργεῖος, neque minus *Astacius* ad eiusdem linguae vocabulum ἀστακὸς refero. *Meleager* porro litteris MELEA indicatur, atque *Ideus*, sive *Idaeus*, sine dubio graecum est (4). *Talamonius* denique a verbo

ταλάω, τλάω nomen duxit, acsi pro τλάμων, τλήμων, ταλάμων dixeris. Ipsa autem, quae reperimus nomina latina, minime apud romanos communia sunt; nam neque *Licentiosus*, neque *Purpureus*, neque *Pampineus*, nec *Serpentius* porro, vel *Aurius*, atque *Alumnus*, tamquam nomina apud romanos in usu fuisse putaverim, neque *Cupidinem* appellatum quemquam esse, nisi servum; *Iaculator* autem pro cognomine tantum erat (5) in usu. Quod si quis pro armaturae appellatione habere vult, ea re nisus, quod retiarii rete *iaculum* appellatum (6) est, illius sententia iam eo refutatur, quod duabus figuris vocabulum illud in musivo nostro adscriptum est, quarum altera hominem plane nudum repraesentat, altera gladiatorem galea armatum (7): quae duo genera, ut eodem nomine indicarentur fieri non poterat. Restat bestiarii cuiusdam nomen his fere litteris expressum ΜΕϨΙΙΙΟ: vel, secundum Caninam, MILIПO: quae quomodo legendae sint non liquet.

In singulis vero figuris exponendis ita versabimur, ut missis ad tempus bestiariis, primo de ipsis tractemus gladiatoribus. Ac facile quidem cognoscimus in omnibus, quae extant, dimicantium paribus alterum esse retiarium. Licet enim nullum conspiciamus rete sive iaculum, nisi forte id quo Callimorfus gladiator in quarta tabula manum sinistram corporisque partem inferiorem copertam habet, illo modo explicandum esse censes, in mentem tamen nobis revocemus necesse est, rete esse occulto portatum a retiariis (8): praeterea in musivo non cerni pugnarum initium, in quo, ut rei natura fert, plurimus erat iaculi usus, sed finem potius. Eandem ob caussam gladiis vel pugionibus, non iam fuscinis dimicant, quae fractae pleraeque solo sparsae sunt, ita tamen ut prope retiarium quemque fuscina quoque eius conspiciatur: quare non est quod dubitemus de vera illorum gladiatorum appellatione. Accedunt cetera arma, quae peculiaria iis esse aliis monumentis demonstrantur, manica imprimis brachii sinistri, et quem galerum retiariorum esse lectoribus persuadere antea conatus sum (9). Loris vel fasciis inferior coxarum pars circumligata est, aliaque fascia, de qua parvula interdum suspensa sunt lora, infra genu eius circumdat. Candidum subligaculum ita succinctum, ut femorum pars anterior nuda relinquatur, lato balteo continetur: neque ulla res retiariis attributa deest, nisi spongiae, de quibus quae suspicati sumus antea exposuimus. Differunt tamen inter se ipsi, quos retiarios appellamus, gladiatores: quum inter novem, quos huic generi adnumeramus, quinque prorsus ea, qua diximus ratione, armati sint: duo-

bus, qui sunt Meleager et Entinus, galerus ille deest: duo praeterca alii, Callimorfus et Astacius, pro manicis variis coloribus ornatis fasciisque alligatis, quae sine dubio e corio factae erant, manicis squamatis induti neque galero illo protecti sint. Quum tamen cetera omnia cum peculiari retiariorum armatura congruant, plane autem diversa sint a ceterorum gladiatorum ornatu, hos quoque retiarios nominare non dubitavi.

Commissos autem esse vidimus retiarios cum secutoribus et myrmillonibus, neque utriusque tamen generis quisquam in musivo nostro reperitur. Neque enim leviora secutoris arma, nec myrmillonis piscis galeae infixus, neque threcis denique falx, neque parmula ocreaeque duae conspiciuntur. Propterea id modo reliquum, ut samnites eos esse dicamus. Atque armati revera sunt dimidio, ut Iuvenalis dicit, cruris sinistri tegmine, balteo, scuto magno, brachium dextrum manica induti, galea denique faciem obtegente. Iam vero in describendo universo samnitium genere de galea tractavimus, cuius effigiem adiuncto nomine gemmae incisam (10) reperimus; huius simillimam nonnulli gladiatorum musivi burghesiani gestant, ita ut Astivus quidam, quin samnis sit, isque qui in tabula quarta media prope Callimorfum cernitur, de cuius nomine litterae tantum IVS=VIC extant, dubium esse non possit. Ceteros autem generis samnitium speciem quandam armis levioribus instructam esse credo; quae enim illis ferrea sunt, his e corio facta fuisse videntur, manicas dico ipsasque galeas, quae variis coloribus distinctae, ac quasi e fasciis, ut apparet, compositae sunt. Pampineum vero in tabula tertia gladiatorem ob gravem armaturam iam in commentatione de gladiatorum generibus hoplomachum esse coniecimus (11). Talamonium tantum, qui ocrea quidem sinistro crure, manica squamata brachio dextro armatus est, nihilominus pro gravioris armaturae samnite habeo, qui devicto adversario Aurio scutum et galeam paullulum deposuerit. Gladium sinistra manu gerit: ac scimus gloriatos esse gladiatores ea re, si sinistra manu pugnare poterant. De Commodo certe hoc tradit Dio: καὶ πάνυ καὶ ἐπὶ τούτῳ μέγα ἐφρόνει ὅτι ἦν ἐπαρίστερος (12): atque inter gladiatores Pompeiis in muro depictos unum threcis, ut videtur, armatura indutum, gladium sinistra, scutum dextra manu gestantem invenimus (13): id quod in pluribus quoque Kestneri lucernis cernitur, sicut in una campaniana. Eandem vero ob rationem manicam quoque sinistro brachio habent: quam quum gladiator noster dextra gerat, forte tantum accidisse credo, ut sicut galeam atque

scutum deposuit, sic gladium altera manu sumpserit. Is solus gladiator, quem in tabula quarta dimicantem videmus cum adversario non iam in eadem tabula extante, quo nomine appellandus sit, dubius sum: tota enim armatura samnitibus similis ocrea non est indutus, neque scuto armatus. Nescio igitur num pro *secutore* forte habendus sit, quem levioribus armis instructum fuisse vidimus (14).

Vestium autem, quibus ornati gladiatores sunt, idem omnibus fere color est, quum album omnes gestent subligaculum parte interdum superiore pictum, manicas autem ac galeas, nisi forte ferreae sunt, flavo, rubro, viridi corio factas variisque fasciis compositas: quamquam in nonnullis flavo tantum colore manicae distinctae sunt. Prae ceteris tamen rebus balteum eos ornasse crediderim, quippe quem plurimae musivi nostri figurae pictum, vel laminis decoratum exhibeant ex militum, credo, consuetudine (15). Neque minus scuta variis coloribus conspiciuntur ornata, atque ita quidem, ut modo reticuli specie quasi fasciis decorata sint, figuris modo quadratis ac rotundis distincta, modo trabeis quasi quibusdam variis composita.

Praeter ipsas gladiatorum figuras, in musivo burghesiano homines quosdam videmus paene nudos, parvulo tantum subligaculo vel cingulo ornatos, sinistrum brachium veste quadam ampla, ut videtur, varioque colore tincta copertos, dextra autem baculum gerentes, de quo lora vel unum vel plura dependent. Quos arenae ministros *lorarios* esse dixerim, qui flagellis ad pugnam gladiatores compellunt (16). Quorum quatuor in musivo nostro extant, quintusque, cui nomen Eliacer adscriptum est, equum ducens, qui num ad gladiatorum equestrium certamen spectet, cuius alind vestigium cernimus nullum, iudicare equidem non ausim; fortasse enim avehendis quoque mortuorum corporibus inserviebant equi. Quod autem parva repraesentati sunt statura, ea re non significatur pueros eos esse; quae quidem opinio iam equi figura observata refellitur: sed aut, quae ratio saepissime cernitur in monumentis antiquis, figurae, quae minus ad repraesentatam actionem pertinent, arte iam ipsa tali modo indicari, in nostro quoque musivo adhibita est, aut remotiores paullo eos esse ita declaratur. Lanistam vero, vel gladiatorum magistrum, in nostro musivo extare pro certo non possum affirmare: attamen brachio illo, quod prope Rodanum retiarium in tabula prima conspicitur, alioque prope Pampineum in tabula tertia, eiusmodi homines indicari facile cognoscitur, quum superior illius

pars, totum vero hoc brachium veste quadam copertum sit : quae quin ad tunicam pertineat, dubitari vix potest. Tunica autem lanistae induti sunt et in Winckelmanni musivo toties laudato (17), et in lucerna a Sancte Bartolo edita, in qua pugnantes threcem et samnitem dirimere ille studet (18).

Actionem vero gladiatorum nostrorum si observaveris, summa quidem varietate expressam eam esse invenies : ita tamen, ut cuiusque paris uter victor, uter victus fuerit, facile intelligatur. Neque aliter fieri poterat. Etenim si musivo nostro gladiatorium munus, quod revera editum erat, repraesentari ponendum est, verasque redditas esse pugnatorum imagines, necesse erat, ut qui vicisset, qui necatus, qui missus esset, aliquo modo significaretur. Quamobrem nullum iam certamen incertum est. In prima enim tabula Licentiosus retiarius Purpureum samnitem, similique modo Astacius Astivum prostravit insilitque in iacentem, pugione destricto eum confecturus. Entinus vero Baccibum statu deiecit, ac cedentem et tergum iam praebentem cultro petit. Rodanus denique mortuus humi prostratus est. In tertia denique tabula Cupido retiarius victus populi vel domini, ut videtur, iussu decubuit ; nam vultu composito versisque firmiter in adversarium oculis iugulum ferro praebet (19). Bellerefous vero, genu in terram inclinato, sinistra dum galerum illum quem statuimus e collo iacentis demovere conatur, dextra pugionem in iugulum eius intentat. Triumphans, quasi ac post victoriam quiete paullulum fruens, Talamonius prope Aurium trucidatum stat. Meleager contra, adversario quidem samniti vulnerato ac prostrato exultans, gladium cruentum brachiumque manicatum protendit: nondum vero signum, ut eum conficiat, accepit, quod intento ad spectacula vultu, genu innixus sinistro, summo ardore expectare videtur. Solus Pampineus hoplomachus dimicare credi possit ; brachium vero, quod prope eum cernitur, lanistae est, non gladiatoris : ac vix eum dimicantem repraesentatum esse mihi persuaserim, quum contra gladiatorum regulam dextrum protendat crus, sinistrum scuto tectum retrahat. Dixerim igitur et illum adversarium iam occidisse, hunc autem temporis iniuria ereptum nobis esse. In quarta denique tabula Alumnus quidem, Mazicino adversario prostrato scutoque ei iniecto, triumphans gladium sanguine adspersum tollit vultuque, ut videtur, ad spectatores directo eorum de se iudicium expectat. Adstat ei alius gladiator samnis, victor et ipse, sed qui nondum confecit Callimorfum adversarium, quippe qui humi proiectus, paucis quae ei restant viribus, brachium dextrum supra caput attollens porrecto

digito populi misericordiam implorare videatur (20): quam quidem impetratam missionemque ei datam esse, etiam si pro certo affirmare non ausim, ut probabile certe credam, pluribus adigor rationibus.

Videmus enim in tabula prima ac tertia, gladiatoribus nonnullis vel occisis, vel qui occiduntur, ⊖ signum esse appositum, quod pro Θ illo, quod toties in inscriptionibus antiquis reperitur, positum esse facile intelligitur. De Θ autem litterae usu ab antiquis scriptoribus nonnulla accepimus, quae omnem de ea re tollunt dubitationem (21). Dicit enim Rufinus (22): » Si quis accepto breviculo, in quo militum nomina continentur, nitatur inspicere, quanti ex militibus supersint, quanti in bello ceciderint, et requirens, qui inspicere missus est, propriam notam Θ ad uniuscuiusque defuncti nomen adscribit, et propria rursus nota superstitem signat.» Θάνατος littera illa significatur, propter quod in rebus militaribus non minus apte ea usi sunt, quam in rebus forensibus; nam ad has Persii (23) quidem *theta nigrum* spectat, *mortiferumque*, quod Martialis (24) dicit, *quaestoris signum*, et *theta novum*. Neque tamen credendum est ad duplicem solum, quem dixi, usum theta esse referendum: immo in inscriptionibus lapidi incisis ita saepissime invenitur adhibitum, ut mortuum tantum indicet, tum praesertim, quum plures recensentur homines, quorum alteri vivunt, alteri mortui sunt (25). Vivi autem littera V distinguuntur. Quod quidem signum iure suo Lipsius reposuit Isidori loco, quo in militum defunctorum nominibus Θ, superstitum a proelio T litteram adscripsisse veteres tradit (26). Denique theta erat nota quoque critica scriptionem aliquam improbans (27). Ac variis litterae theta usi sunt formis; quum enim in inscriptione quadam pompeiana (28) signum extet, semper fere in titulis antiquis Θ reperimus; accedit tertia signi figura, et haec cum ea congruens, quae in musivo nostro conspicitur, ⊖ videlicet. Legitur enim inscriptio quaedam apud Gruterum (29):

D. M. AVR. SECV//NDINVS. ET. AVR. VALENTINA. CON.//
VIVI. FEC. SIBI. ET. AVR. SECVNDIANVS. FIL ⊖ AN. VII //
CRVDELES PARENTES//FACERE//CVR.

In qua quidem inscriptione quum ⊖ plane pro Θ positum sit, dubium esse non potest, quin ⊖ quoque musivi nostri, tabulaeque quam Winckelmannus (30) edidit, eadem prorsus sit littera eademque ad rem indicandam adhibita. Quae quum ita sint, Astivum, Rodanum, Cupidinem, Aurium inter gladiatores nostros in arena

occisos esse apparet. Quum vero et Purpureus et Baccibus, et qui prope Meleagrum iacet, Mazicinusque et Callimorfus itidem victi sint, nihil tamen eorum nominibus adscriptum est. Quae res licet in Mazicino ita explicari possit, ut intercidisse illam litteram dicamus, quum deesse aliquid lineis quibusdam parvulis indicetur, eademque fortasse ratio ad illum, cuius nomen omnino periit, gladiatorem pertineat; ceteros nihilominus victos quidem atque vulneratos esse, missionem vero a populo vel domino impetrasse coniecerim. Quam quidem sententiam confirmare etiam videtur id, quod Callimorfum antea porrecto digito misericordiam implorare suspicatus sum.

Reliquum est, ut de litteris VIC, quae in tabula quarta gladiatorum quorundam nominibus adscriptae exhibentur, pauca addamus. Quas si omnibus illis qui adversarium occiderunt additae essent, pro VICIT explicare minime dubitaverim, ea praeterea ratione adductus, quod in musivo winckelmanniano legitur ASTIANAX ♡ VICIT. KALENDIO ⊖ : ita ut signo ⊖ VICIT vocabulum quasi oppositum sit, atque idem significet quae pro SP litteris in tessera gladiatoria extat littera V (31). Quum vero adscriptae illae litterae nonnullis tantum gladiatoribus sint, quorum praeterea unus dimicans repraesentatur necdum adversarium occidit, alia earum ratio esse debet. VICTOR enim litteris VIC significari dixerim: quo quidem vocabulo, quum ad gladiatores spectat, non illum indicari, qui semel adversarium interfecerit, sed qui, ob plures reportatas victorias rude accepta, a re gladiatoria prorsus dimissus sit, lectoribus probare antea (32) suscepi. Raro praeterea inque spectaculis tantum magnificentissimis gladiatores victores magno pretio paratos denuo productos esse demonstravimus: neque parva munera picturis vel musivis magnis, quale burghesianum est, celebrata esse credi possunt, praeterquam quod multitudine et varietate belluarum, quae exhibentur, satis iam splendor spectaculi depicti declaratur. Quapropter gladiatores quoque victores in eo datos esse valde probabile est. Quae tamen res si minus alicui placuerit, ita quoque explicari possit, ut quibus VIC litterae additae sunt, gladiatorum nomina eos indicent, qui post hoc certamen victorum nomine missi sint.

Altera musivi burghesiani pars, secundum quam in ipsis spectaculis obtinuisse vidimus consuetudinem, venationem exhibet. Bestiarios autem, qui in illo dimicantes contra bestias conspiciuntur, si paullulum observaveris, multo minus fuisse protectos adversus morsus ferarum, quam ipsos, qui inter sese pugnarunt, gladiatores fa-

cile cognoveris. Nudo enim capite sunt nudisque cruribus, quae in retiariorum modum super talos tantum ac prope poplitem fasciis quibusdam circumligata habent: induti vero alba tunica, cuius pars inferior pictis quibusdam in ea figuris distincta est. Pectus tabula quasi quadam parva deque corio, crediderim, facta, humeri simili interdum propugnaculo rotundo paullulum proteguntur, brachiumque sinistrum veste quadam, ut videtur, circumligata tuentur; nam quominus pro manica gladiatoria eam habeam, et universa eius impedior forma parteque extrema in nonnullis dependente, et illa quae in Scauri sepulcro extat figura pugnantis contra ursum bestiarii, qui, licet manica indutus, vestem tamen quandam bestiae obiicit (33). Quod autem sinistrum brachium protectum hoc modo habent, eius rei, quae ratio sit, Pollucis (34) nos docent verba, quo loco de venabuli usu praecepta dat. Dicit enim: *προβὰς τὸν πόδα τὸν ἀριστερὸν καὶ τὸν δεξιὸν ὑποβὰς ὡς εἶναι τὸ μέτρον τὸ διαβάσεως, ὅσον ἐν πάλῃ, τὴν προύχουσαν πλευρὰν δεξιὰν ἐχέτω κατὰ τὸν πόδα καὶ τὴν χεῖρα τὴν ὑπὲρ αὐτὸν ὑπτίαν ἀντειλημμένην μέσην τοῦ προβολίου προτεινόμενος, τῇ δεξιᾷ ἀντιεστραμμένῃ τοῦ δόρατος ἐγκρατῶς ἀντεχέσθω, καὶ τῇ μὲν ἀριστερᾷ τὸν σίδηρον ἀπευθυνέτω πρὸς τὸ τῆς πληγῆς καίριον, ἡ δὲ δεξιὰ κατὰ τὴν ἑαυτῆς ἰσχὺν ἐπωθείτω τὸ προβόλιον.*

Eodem vero modo omnes nostri musivi venatores pugnare videmus. Qua ratione quum sinistrum semper protenderetur brachium, ut dextro magis protegeretur necesse erat. Solum autem bestiariis nostris pro telo venabulum est, quod quo modo comparatum fuerit, antea iam exposuimus (35), atque ita eo utuntur, ut semper pectus ferarum petant ac cor (36). Omnes enim, quos in musivo cernimus, vel occisas belluas vel quae interficiuntur, ita venabulo percussae sunt, ut, quum per pectus intrasset, inter humeros exierit cuspis.

Ferae autem, quae in musivo conspiciuntur, maximam partem pantherae sunt, quas varias sive africanas orientalesve veteres dicebant (37). Quas ita quidem Isidorus describit: » Panther bestia est minutis orbiculis superpicta, ita ut oculatis ex fulvo circulis nigra vel alba distinguatur varietate (38). » Quae quantopere romanis ad spectaculorum usum visae sint necessariae, satis iam expositum est, ubi de spectaculorum in universum historia egimus (39).

Missis igitur illis, ad cetera, quae in musivo videmus, animalia transire liceat; inter quae primo loco leo nominandus est, quem venabulo transfixit bestiarius, quum ad aggrediendum eum iam se erexisset. Iubatorum autem generis est, quod pluris aesti-

masse romanos plurimis illis locis intelligitur, quibus inter leones ad spectacula exhibitos iubatorum numerus a scriptoribus separatim laudatur (40). Atque solutus in arenam missus est, qui mos, quamquam a Sulla iam institutus, multum tamen aberat quin in universum esset adoptatus, quum saepissime lorum illud, de quo locuti sumus, bestiarum corpus cingens, in monumentis exstet, quae quia ad aetatem multo posteriorem pertineant minime dubium esse (41). Quin ipse, qui prope leonem nostrum cernitur, magnus taurus, quem venabulo petit venator, fune collum circumligatum habet, iamque in museo gregoriano musivum extare commemoravimus taurum exhibens alligatum cum elephanto dimicantem. Taurorum omnino venatione maxime romani delectabantur, multisque modis contra eos dimicabant. Praeter eam enim rationem, quam modo vidimus, ut venabulo contra eos pugnarent bestiarii, valde usitatum aliud spectaculorum genus erat, quo equites feros tauros per spatia circi agentes defessos insiliebant, et ad terram cornibus detrahebant (42). Inventum autem gentis thessalorum erat, *equo iuxta quadrupedante cornu intorta cervice tauros necare*: quamobrem ad spectaculum quoque illud thessali potissimum equites a romanis exhibiti sunt, id quod primum fecit Caesar dictator (43). Quos vero in inscriptione pompeiana commemoratos invenimus *taurocentas* ad hoc ipsum ludorum genus spectare censeo, quippe quorum nomen a graecorum verbo κεντέω derivandum satis iam graecam testatur originem. Qui quum eodem titulo nominentur, quo *taurariorum* quoque mentio fit, hos equidem bestiarios esse dixerim, quos venabulo tauros aggressos esse vidimus: nomen enim eadem ratione, qua a bestiis bestiariorum, a tauris originem duxit (44). Ipsi vero spectaculo, quo equites illi cum tauris pugnabant, graecum ταυροκαθαψίων nomen fuisse anaglypho quodam probatur, quo illud certaminum genus nomine adscripto exhibetur (45): qua appellatione ipsi romani quin usi sint non equidem dubito, quum taurocentarum quoque vocabulum in eorum sermonem transierit. Repraesentatur eiusmodi venatio parvulo quodam musivo in museo gregoriano parieti infixo, in quo fugientem conspicimus taurum, insequentem vero equitem, galea quidem ornatum ac lorica, ni fallor, armis tamen carentem: eandemque pugnandi rationem gemma monstrat in collectione Cadis exstans (45.).

Illa autem, quam modo laudavimus inscriptione (46), TAVROS. TAVROCENTAS. SVCCESSORES datos esse legimus: neque dubium, quin successores quoque ad taurorum venationem spectent,

quum postea denuo cum tauris et taurariis afferantur, ita ut nomen fortasse duxerint ab eo, quod vel taurocentis vel taurariis succurrebant. Id quod in hispanorum eius generis spectaculis fieri scimus, ut equitibus pedites quidam veloces addantur, qui irritent aut, quum nimio aliquem persequitur ardore, in se ipsos convertant taurum. Atque huius quidem pugnae in musivo burghesiano exemplum reperisse mihi videor: extat in eo taurus magnus cypriacus; gibber enim est, quales tauros cypriacos fuisse scimus (47), quos ad spectacula a romanis productos esse ex iis, quae de silva Gordiani narrantur, satis constat (48). Circumventus est a novem hominibus tunicatis, armis vero non instructis, qui cornibus retinere eum student, quorum tamen plures iam vulnerati vel occisi humi iacent. Cui quidem pugnae simile certamen in Kestneri lucerna extat, in qua duo homines taurum retinere student, tertius iam in aërem ab eo iactatur, quem bestiarium esse ipse vestitus indicat (t.VII, 11). Quominus tamen illos quoque venatores esse credam ad occidendum taurum destinatos, quum eo iam impedior, quod eorum nullus arma gerit, tum ea potissimum re, quam pone gibbum dorso taurus alligatam portat, quamque pro sella quadam explicaverim. Quae si sella re vera est, ipsum illud ludorum genus indicatum esse videtur, quo equites tauros insequentes insilire student, ita ut homines musivo nostro repraesentati *succursores* tantum sint. Atque hos ipsos succursores pilis quoque, quae toties commemorantur, usos esse crediderim, quibus tauros modo irritarent, modo a se averterent. *Pilae* autem, tradit Festus (49), *et effigies viriles et muliebres ex lana Compitalibus suspendebantur in compitis, quod hunc diem festum esse deorum inferorum, quos vocant lares, putarent, quibus tot pilae, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur, ut vivis parcerent et essent his pilis et simulacris contenti.* Harum igitur pilarum instar pilae dictae sunt stramenticiae effigies tauris in arena obiectae (50). Quas tamen effigies feris quoque interdum obiectas esse Gorii diptychis toties laudatis satis probatur; quae enim ibi conspiciuntur figurae hominis formam rudem atque, ut ita dicam, informem reddentes, nihil sane aliud, nisi eiusmodi homines foenei sive pilae sunt. Qui vero taurorum corporibus in musivo nostro affixi conspiciuntur circuli colore flavo distincti, tenues laminas esse suspicor ex metallo factas, quales hodie Romae equis ad cursus certamen destinatis appenduntur, quorum strepitu irritare qudebant animalia. Eaedem vero quas dicimus laminae in confecta suoque, quae humi iacet, bellua quadam extant, quam pro urso

ego habuerim, etiamsi non satis clare eius figura cognoscitur. Ursis certe in amphitheatro valde delectatos esse romanos, plurimis, quibus ingens eorum affertur numerus, nobis declaratur scriptorum locis. Atque licet in ipsis Italiae saltibus ursi ea aetate abundarent, modo e Germania modo ex Africa eos advectos esse legimus (51).

Praeter ea, de quibus egimus, animalia, cervum quemdam humi prostratum cernimus, cuius cornibus non communis cervorum generis eum esse videtur indicari. Sunt enim latiora cornua ramisque minus prominentibus, quam in nostris cervis; unde *alcem* eam esse coniecerim, de qua fabulas quidem multas Caesar tradidit, atque etiam Plinius (52): quae tamen posterioribus temporibus imperatorum spectaculis commemorantur (53). *Struthionem* deinde videmus corporis proceritate omnibus ceteris supereminentem, cuius collum, quum semper quidem nudum ac rutilo sit colore, nostro tamen musivo colore plane rubro distinctum est: quare *miniatum* eum esse statuerim. *Struthiones* enim *mauri miniati* in silva illa, de qua saepius locuti sumus, Gordiani editi sunt (54). Quam magna autem horum animalium multitudo Romam ad spectacula advecta sit, praeter trecentos, qui in illius silvae editione commemorantur, eo imprimis declaratur, quod sexcentorum struthionum capita una coena ad edenda cerebella Elagabalus exhibuit (55). Minus certo quae sit ea bestia, quam prope struthionem videmus, decidere licet: etiamsi ad capronum genus eam pertinere facile cognoscitur. Magna autem quum habeat cornua, neque forma cervo dissimilis sit, *ibicem* eum esse dixerim. Ibices enim graecorum τραγελάφους interdum interpretatur Hieronymus (56): sic vero Plinius eos describit: *Sunt ibices pernicitatis mirandae, quamquam onerato capite vastis cornibus gladiorumque vaginis; in haec se librant, ut tormento aliquo rotati in petras potissimum e monte aliquo in alium transilire quaerentes, atque recussu pernicius, quo libuerit, exultant* (57). Illa quidem cornua, vaginarum similitudinem quae referunt, in nostro musivo facile cognosces. In spectaculis autem romanorum ibices quoque dati nonnunquam sunt, sicut Gordianum ducentos exhibuisse traditum accepimus (58).

Reliquum est ut de illa iam fera loquamur, quae occisa atque humi prostrata in media fere tabula repraesentata est; cuius quum caput solum conspiciatur, ad quam pertineat speciem vix certo statuere licet. Colore autem, ore praeterea vasto crinibusque hirsutis ac quasi horrentibus, belluae similissima est, quae in musei gregoriani musivo quodam cum tauro dimicans extat, cuius ipsius

generis alias duas a bestiariis transfixas in alio cernimus musivo, quod in vaticanis adhuc horreis asservatur. Quas quidem feras pro *hyaenis* babeo: nisi forte qnae toties a scriptoribus commemorantur *corocottae* sunt, quas ita Dio describit, ut ipsarum byaenarum speciem sic appellatam esse credam; τὸ δὲ ζῶον τοῦτο, ait, ἰνδικόν τέ ἐστι . . ἔχει δὲ χροίαν μὲν λεαίνης τίγριδι μεμιγμένης, εἶδος δὲ ἐκείνων τε καὶ κυνὸς καὶ ἀλώπεκος ἰδίως πως συγκεκραμένον (59).

Plinius vero monstruosum dicit corocottam animal, quasi ex cane et lupo conceptum, omnia dentibus frangens (60). Romam autem primum eam venisse Severo imperatore quum Dio dicat, Iulius tamen Capitolinus, in describendo Antonini munere, iam corocottarum mentionem fecit (61).

Haec sunt quae ad explicandas musivi burghesiani figuras afferre mihi contigit. Quae enim reliqua sunt in eo figurarum fragmenta, tam parvula sunt, ut nihil certe de iis statuere licet: ea dico, quae in media tabula quinta extant atque ad bestiarium fortasse quendam pertinent, quaeque in tabula tertia prope lorarium, cui nomen Eliacer adscriptum est, exhibentur, de quibus ne conicere quidem quidquam ausim.

ADNOTATIONES AD PARTEM TERTIAM.

(1) Westphal Roemische Campagne, 79. Da modo quo detectum, deque loco, quo positum fuit musivum, quae scripsit Canina v. Bull. dell' Istit. archeol. 1834 p. 193.

(1[a]) Grut. p. 1012, 10.

HERCVLI
RODANVS
PRO. SE. ET. DA
TIANO
V. S. L. M.

Titus Sextius Rhodanus ap. Murat. p. 1216, 14.

(2) Cf. II, 17.

(3) IVPITER SABATIVS apud Grut. p. 22, 4, 5, 6; Val. Max. I, 3, 2; Dionysius tertius rex Asiae, cui Sabazia sunt instituta, Cic. de N. D. III, 23; de lagg. II, 15, 37. Si haec vera nominis interpretatio, littera quidem t pro z posita est: quae quidem res in inscriptionibus tam rudibus nihil me movere potest: sin vero altera probatur, Sabatius pro Sabbatio scriptum est; nomen autem Sabbatis mulieris alicuius extat in inscript. Murat. p. 660, 4, p. 1156, 17; 1123, 12.

(4) Constat in inscriptionibus latinis saepissime f pro ph positum esse, cf. Doriforo, ap. Grut. p. 403, 7; Fileros, Murat. 281, 8; Filtatae 1301, 10; al. p. 1321, 10; 1330, 1; 1344, 4; 1506, 12. Ceterum Callimorphus frequenter gladiatores nominati sunt; apud Grut. certe legimus p. 57, 8.

DEO. MARTI. AVG. CALLIMORPHVS. SECVNDA. RVDIS

(4[a]) Idaei nomen legitur apud Grut. p. 612, 10; in qua inscriptione praeter illud graeca quoque Doridis atque Epaphroditi nomina extant. Quae ittera R nomini illi addita est, quomodo sit explicanda, nescio.

(5) Cn. Egnatius C. F. Iaculator, Murat. p. 1669, 4.

(6) V. II, 129, 199.

(7) Huius gladiatoris nihil restat nisi ipsa galea, propterea in magnas musivi tabulas non recepta, sed prope eas solo infixa.

(8) II, 130.
(9) II, 122, sqq.
(10) II, 79.
(11) II, 86, sqq.
(12) Dio, 72, 19.
(13) Apud Avellinum, Osservaz. cet., falce quidem non armatus est, sed propter duas, quibus indutus est, ocreas eum thraecem fuisse posuimus.
(14) II, 138, sqq.
(15) Ael. Spart., Hadr. p. 5 D: quo loco balteum sine auro sumpsisse Hadrianus narratur; cf. quem Salmas. affert Plinii locum.
(16) II, 199.
(17) Monum ined. II, 197, 398.
(18) II, 78.
(19) Huius rei exemplum cernitur in Scauri quoque sepulcro.
(20) Melius expressam eam rem in Scauri sepulcro videre licet.
(21) Cf. Iahn, Specimen epigraphicum, p. 54, 55.
(22) II, Invect. in Hieronym n. 36.
(23) IV, 13.
(24) Martial. VII, 57.
(25) Cf. Gruter. p. 728, 11, et praecipue p. 440, 441; quo loco longus extat index nominum eorum, qui ad statuam Vespasiano ponendam contulerunt, inter quos quindecim Θ littera signati sunt. Praeterea si exempla queris signi Θ mortuum, V vivum indicantis cf. Grut. p. 538, 5, 6, 782, 9, 974, 11; Fabrett. inscr. 157, 169 cet. Spon. misc. VII p. 445 n. 1; p. 247, 8.
(26) Reinesius quidem praefert Υ, ὑγιής, secundum Galeni verba, comm. I, epid. 3. ἐπὶ δὲ τελευτῇ τοῖς μὲν σωθεῖσιν Υ προγέγραπται τὴν ὑγείαν σημαίνον, τοῖς δὲ ἀποθανοῦσι τὸ Θ καὶ τοῦτο δηλονότι τὸν θάνατον ἐνδεικνύμενον. Plus tamen inscriptionum valet autoritas.
(27) Cf. Sidon. carm. 9; 335.
(28) Ap. Wordsworth, Inscriptiones pompeianas p. 22.
(29) 762, 2.
(30) Monum. ined. II, 198, 198. Non intellexit summus ille vir veram huius signi sententiam pro terminationis indicio id esse ratus, confuso, ut videtur, signo O cum eo, quod saepissime inscriptionibus extat, O, signo; cf. Grut. p. 2, 4, 93; 5, 151, 6, cet.
(31) Caylus, Recueil. III t. 79, n. 1, p. 290.
(32) II, 57.
(33) Cf. Mazois, opus antea laudatum.
(34) Iul. Poll. V, 4; p. 231, 4 ed Franc.
(35) II, 169.
(36) στοχάζεσθαι δὲ χρὴ τοῦ στήθους, τῆς καρδίας. αὕτη γὰρ ἐπὶ τούτων ἡ πληγὴ καίριος, dicit Iul. Poll. V, 4; p. 231, 35, de leonibus loquens ac pantheris, ceterisque feris praeter apros.
(37) II, 30, sqq.

(38) Origg. XII, 2.
(39) I, 32.
(40) Cf. I, 31.
(41) Cf. Gerhard, Antike Bilderke, 76.
(42) Suet., Claud. 21. Dio C. 61, 9.
(43) Plin. N. H. VIII, 45, 70.
(44) Cf. Orelli, inscr. 2530, apud Gud. 106, 1, Pompeiis reperta, sed ante erutam ex cineribus oppidum ταυρομάχιον, vid. Murat. p. 643, 1. Taurariorum nomen in glossario quoque Philoxeni extat. ταυράριοι, ταυροκαθαπταί.
(45) Apud Selden., Marm. Arundell. n. 37, p. 485 ed. 2. Ad idem spectaculi genus spectant fortasse quos Hesychius commemorat: κερατισσεῖς οἱ τοὺς ταύρους ἕλκοντες ἀπὸ τῶν κεράτων. καλοῦνται δὲ καὶ κεραελκεῖς.
(45a) L. 86, n. 148.
(46) Cf. 44.
(47) Servius ad Virg. Georgic. I, ex Aristotele.
(48) Iul. Cap., Gord. 3 fin.
(49) Festus s. v.
(50) Cf. Forcellini lex. s. v.; Ascon. ad fr. Cic. pro C. Corn. - Martial. Amphith. 9, 19, 22; II, 43; X 86.
(51) Ursi quidem numidici antea commemorati sunt; Mart. vero in Amphith. 15 de urso loquitur: „ Primus in Arctoi qui fuit arce poli. „
(52) Caes. B. G. VI, 26; Plin. N. H. VII, 15, 16.
(53) Cf. Iul. Cap., Gordian. 3.
(54) Iul. Cap, Gord. 3.
(55) Cf. Lamprid. 30.
(56) In Ioh. 31, 1.
(57) Plin. N. H. VIII, 79.
(58) Iul. Cap., Gord. 3; cf. Vop., Prob. 19.
(59) Dio 76, 1.
(60) Plin. N. H. VIII, 30.
(61) Iul., Cap., Ant. 10.

IMPRIMATUR
Fr. Dominicus Butteoni Ord. Præd. S. P. A. M.

IMPRIMATUR
J. Canali Archiep. Colossensis Vicesg.